



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||**

**Johannes <Damascenus>**

**Parisiis, 1577**

Damasceni Dialectica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

A **DIVI IOANNIS DAMAS-  
SCENI DE DIALECTICA  
SIVE LOGICA LIBER.**

In hac Dialectica cap. 65. refecimus; tum quod cap. 3. eadem res iisdem penè omninò verbis contineantur, tum quod libri Physices cap. 1. caput istud prorsus ad verbum existat. Adde, quod ex capitis 64. sine, ubi de hypostatica unione tractat Damascenus, & capite sequenti, ubi de eadem re agit, facile perfici potest, caput illud quod Philosophia definitiones complectebatur, ineptè atque absurde ab aliquo interpositum fuisse. In diuisus autè Dialectica translatione nonnihil me adiuuit Græcus codex manu scriptus, què mihi, vir omni doctrina genere instructissimus, atque eximii sodalitiij sui decus, Maldonatus comodauit.

B **SANCTISSIMO AC VENERANDO PATRI,  
Cosmæ Maiumæ, Ioannes minimus S.**



**C** **V** M ingenij mei angustias, ac lingue \* difficultatem exploratam haberem, cunctabar equidem, V ir beate, iis, quæ vires meas excederèt, manu admouere, atq; arrogantis cuiuspiam & temerarij hominis instar, ea, quibus impar essem, aggredi, periculum nimirum illud, quod ijs, qui huiusmodi res auderèt, impendet, extimescens. Nam si diuinus ille Vir ac Legislator Moses, qui ab omni humano conspectu se remouerat, & vitæ fluctus ac procellas deseruerat, & omnem crassam rerum speciem abstulerat, & animæ visum perpurgarat, atque hinc ad Dei conspectu idoneu sese præbuerat: si in quâ ille, qui hoc cõsecutus fuerat, ut humanitatis plenâ Dei Verbi ad nos demissionè, ipsiusque naturâ omnem superantè, incarnationè in rubo, atque à materia remoto igne (qui rubu quidè vrebatur & inflammabat, atque in suu splendore immutabat, Exod. 3.

**D** Verum non peruebat ac debebat, nec eu à propria natura dimouebatur, cõspiceret, ille in quâ, qui primus eius, qui est, ac verè omnè essentiâ magnitudine antecedit, nomè diuinitus perceperat, quique à Deo populariū suorū imperiū ac præfecturâ acceperat, vocis gracilitate ac lingua tarditate se laborare aiebat, ut qui diuinæ voluntati subministrare, atque ipsam in apertu proferre, Deique & hominū sequenter esse non posset: quonâ tandè pacto ego omni scelerū genere cõtaminatus atque compunctus, quique cogitationū perturbatissimos fluctus in meipso fero, ac neque animi & mentis labes elui (ut Dei diuinariūque formarū speculum esse quæ) nec sermonè habeo, qui rebus animo cõprehensis explicandis par sit, diuina & orationis facultatè superatâ, omniq; ratione videris creaturæ captū excederè, proloquar? Hæc itaque cum mecu ipse considerare, loqui sanè pigebat, atque imperatis obsequi metuebam (dicâ enim quod res est) ne videlicet duplici nomine risum hominibus excitare, inscitia nempè, & quod grauissimū est, stultitia. Tum enim inscitia culpa veniâ meretur, cum non ex inertia ortu trahit. At verò scientiæ opinionè cum inscitia cõiunctam habere, id demū graue ac vituperandū est, omniq; veniâ indignū, maiorisque, ne dicâ extrema, inscitia argumentū. Ceterum quia inobedienciæ fructus mors est, qui autè humilitati atque obedienciæ studet, ut qui Christi discipulum se præbeat, ad extremū vsque in altū cuehitur, gratiâque lucè afferentem à Deo reportat, atque os aperiens, spiritu impletur, ac pectore purgatur, & animo illuminatur, sermonèq; in oris apertione accipit, nec, quid loquatur, accipitis animi est, verum loquētis in ipso Spiritus instrumentū existit: idcirco per vos Christo, qui in vobis præsulis munus exercet, more gerens, imperio me submitto, vestrisque precibus fretus os aperio, per eas nimirum futurū speras, ut spiritu impleatur. Atq; ea dicturus sum, non quæ à me meâ proficiantur, sed à spiritu, qui cæcis lucè affert, quæ ipse dabit, accipiens, eaque proferens. Ac primū eorū qui apud Græcos doctrinæ laude excelluerunt, præstâtissima quæque proponâ, illud scilicet perspectū habens, quicquid boni est, diuino beneficio mortalibus cõcessum esse (quandoquidè omne datum optimū & omne donū perfectū desursum est, descendens à patre luminu: quicquid autem veritati aduersatur, tene-

α πορον  
lego cũ M.  
S. libro.

Exod. 3.

Exod. 4.

Scientia e-

pinio cum

inscitia de-

iuncta ve-

niam non

meretur.

Psal. 118.

Ephes. 6.

Iacob. 1.

D. IOANN. DAMASCENI

brosum satanici erroris commentum, mentisque misera figmentum esse) atque, ut summi Theologi Gregorij verbis utar, apicula morem imitans, ea que veritati affinia sunt, componam, & ab hostibus salutem colligam: quicquid autem fœdum, & cum falsa scientia cōiunctum est, eijciam. Mox autem hæresum, quas Deus odio habet, & uno volumine cōprehendam, ut cognita falsitate veritatem arctius amplectamur. Atque ita demum errori exitium afferentem, ac mendacium propulsantem veritatem, Prophetarum, qui diuinitus afflatus fuerunt, & piscatorum, quos Deus edocuit, & diuinorum Pastorum ac Doctorum sermonibus tanquam simbriis aureis exornatam, Deo, ipsiusque gratia mihi fauente, litteris mandabo: cuius gloria interno fulgore prædita, eos qui purgatis, ut par est, animis, turbidisque cogitationibus abiectis cum ea versantur, radiis suis illuminat. Nihil porro, inquam dixi, meum afferam: verum quæ à præstantissimis quibusque magistris elaborata sunt, in vnum colligens, quoad eius fieri poterit, breuem & compendiosum sermonem faciam, per omnia imperio vestro parens. Vos autem rogo atque obsecro, à Deo honorati Patres, ut mihi iussis vestris obsecuto veniam tribuatis: ac pro ea obedientia, quam à me accipitis, preces vestras vicissim mihi rependatis.

INDEX CAPITVM HVIVS LIBRI.

De cognitione.	cap. 1.	De substantia & natura & forma, & indiuiduo, & persona, & hypostasi.	cap. 30.
Quis huius libri scopus sit.	cap. 2.	De æquiuocis.	cap. 31.
De Philosophia.	cap. 3.	De vniuocis.	cap. 32.
De ente, substantia & accidente.	cap. 4.	De polyonymis.	cap. 33.
De voce.	cap. 5.	De alteris & heteronymis.	cap. 34.
De diuisione.	cap. 6.	De denominatiuis.	cap. 35.
De eo quod natura prius est.	cap. 7.	De decem summis generibus.	cap. 36.
De definitione.	cap. 8.	De Homogeneis & Homoideis, & Heterogeneis & Heteroideis, ac numero differentibus.	cap. 37.
De genere.	cap. 9.	De in aliquo.	cap. 38.
De specie.	cap. 10.	De substantia.	cap. 39.
De indiuiduo.	cap. 11.	De Natura.	cap. 40.
De differentia.	cap. 12.	De Forma.	cap. 41.
De accidenti.	cap. 13.	De Hypostasi.	cap. 42.
De proprio.	cap. 14.	De Persona.	cap. 43.
De prædicatis.	cap. 15.	De Enypostato.	cap. 44.
De vniuoca & æquiuoca prædicatione.	cap. 16.	De Anypostato.	cap. 45.
De prædicationibus in quid est, & quale est.	cap. 17.	De diuisione entis & substantiæ.	cap. 46.
In quibus rebus quinque simplices voces inter se conueniant ac dissideant.	cap. 18.	De substantia.	cap. 47.
In quibus rebus genus & differētia inter se conueniant ac dissideant.	cap. 19.	De Homogeneis, & Homoideis, & Heterogeneis, & Heteroideis, & Homoypostatis ac numero differentibus.	cap. 48.
In quibus rebus genus ac species inter se conueniant ac dissideant.	cap. 20.	De quanto & Quantitate.	cap. 49.
In quibus rebus genus ac proprium inter se conueniant ac dissideant.	cap. 21.	De iis quæ ad aliquid.	cap. 50.
In quibus rebus genus & accidens inter se conueniant ac dissideant.	cap. 22.	De quali & qualitate.	cap. 51.
In quibus rebus differentia & species inter se conueniant ac dissideant.	cap. 23.	De Agere & pati.	cap. 52.
In quibus rebus differētia & proprium inter se conueniant ac dissideant.	cap. 24.	De Situm esse.	cap. 53.
In quibus rebus differentia & accidens inter se conueniant & dissideant.	cap. 25.	De Vbi.	cap. 54.
In quibus rebus species & proprium inter se conueniant ac dissideant.	cap. 26.	De Quando.	cap. 55.
In quibus rebus species & accidens inter se conueniant ac dissideant.	cap. 27.	De Habere.	cap. 56.
In quibus rebus proprium & accidens inseparabile tum conueniant, tum dissideant.	cap. 28.	De oppositis.	cap. 57.
De hypostasi & enypostato & anypostato.	cap. 29.	De habitu & priuatione.	cap. 58.
		De priori & posteriori.	cap. 59.
		De simul.	cap. 60.
		De motu.	cap. 61.
		De Habere.	cap. 62.
		De enunciatione, affirmatione & negatione.	cap. 63.
		De termino & propositione ac syllogismo.	cap. 64.
		De hypostatica vnione.	cap. 65.
		De cogni-	

A

De cognitione.

CAP. I.



COGNITIONE nihil est excellentius. Ea enim anima ratione prædita lumen est: quemadmodum contra inscitia caligo.

*Doctrina  
anime la-  
men est.*

Vt enim luminis priuatio, tenebræ sunt: ita etiam cognitionis priuatio, rationis tenebræ sunt. Siquidem brutis ignorantia propria est: iis autem, quæ ratione vtuntur, cognitio. Ex quo efficitur, vt qui, cum natura sua scientiæ capax sit, ea tamen caret, idem etiam, licet alioqui naturâ rationis particeps, ob animi desidiam ac fœcordiam brutis deterior sit. Per cognitionem porrò, veram eorum quæ sunt cognitionem intelligo. Quòd si cognitiones ad eas demum res, quæ sunt, pertinent, sanè falsa cognitio, vt quæ eius rei, quæ non sit, cognitio sit, ignorantia potius quàm cognitio censeri debet. Falsum enim nihil aliud est, quàm quod non est. Quoniam igitur non solo animo viuimus, verùm animus noster carne, tanquam integumento quodam, coopertus, mentem, quæ cernit, ac cognoscendi facultate prædita est, cognitionemq; ac scientiam earum rerum, quæ verè sunt, percipere potest, velut oculum quendam nacta est, nec per se cognitionem & scientiam habet, sed magistri opem desiderat, proinde ad magistrum ab omni mendacio alienum, hoc est ad veritatem adæmus (Christus porrò substantialis sapientia & veritas est, in quo omnes scientiæ thesauri absconditi sunt, vt qui Dei & Patris sapientia & potentia sit:) atque ipsius vocem per sacrosanctas Scripturas audiamus, veramq; rerum omnium, quæ sunt, cognitionem percipiamus. Cæterum demus operam, vt diligenter ac sincero animo accedamus, nec committamus vt intellectualis animæ nostræ oculus per vitiosos affectus obtundatur. Quandoquidè vix etiam fieri queat, vt quispiam purissimo etiam ac limpidissimo oculo veritatem liquidò perspiciat. Quòd si lumen nostrum, hoc est mens, tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Itaque toto animo & mente accedamus. Quemadmodum enim fieri non potest, vt oculus subinde circumactus, atque in orbem versatus, rem eam quæ sub aspectum cadit, perspicuè intueatur, verùm in id quod cernitur, intetum oculum esse necesse est: sic etiam omni animi tempestate discussa, tanquam ab omni materia secreti, ad veritatem accedamus, atque ita accedamus, vt non ad fores vsque duntaxat peruenisse nobis satis sit: verùm fortiter pulsemus, vt thalami ianuam nobis patefactam internam ipsius elegantiam conspiciamus. Ianua porrò est litterarum cortex: thalamus autem qui intra ianuam est, sensuum pulchritudo, quæ sub eo delitescit, hoc est veritatis, spiritus. Fortiter ac robustè pulsemus: femel, iterum ac sapius legamus: atque ita fodientes, scientiæ thesaurum inueniemus, ac diuitiis magna cum animi voluptate perfruemur. Quæramus, inuestigemus, exploremus, sciscitemur. Omnis enim qui petit accipit, & qui querit inuenit, & pulsanti aperietur. Et, Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicet tibi. Quapropter si discendi studio teneamur, magnam quoque doctrinam consequemur. Ita enim naturam comparatum est, vt omnia diligentia & labore, ac præsertim

*Falsa co-  
gnitio igno-  
rantia potius  
quàm co-  
gnitio est.*

C

D

E

Dei donantis fauore ac beneficio percipiatur. Quandoquidè autem admonet diuinus Apostolus, vt omnia probantes, id quod bonum est teneamus, exterorum quoque sapientium libros consulamus. Nam etiã fortasse apud eos mercium aliquid nanciscemur, atq; aliquid, quod animo proficit, ex ipsis decerpemus. Nam cum artifex omnis ad operum suorum constructionem instrumentis quibusdam opus habeat, consentaneum etiam est, vt reginæ ancillæ quædam inseruiant. Ac proinde veritatis famulos libros sumamus, atque impietatem, quæ sceleratam tyrannidem in eos exercuit, propulsemus, ne eo quod bonum est, malè vtamur, hoc est differendi artem ad simpliciorum imposturam tractemus: verùm licet variis argumentorum captionibus veritas haudquaquam indigeat, iis tamen aduersus eos, qui improbum bellum gerunt, atque ad falsò nuncupatæ scientiæ euerfionem abutantur. Ab his igitur, tanquam ab elementis, quæque iis, qui lacte

*Simile à  
D. Basilii  
sumptum.*

*Isocrat. ad  
Demon.*

adhuc opus habent, conueniunt, initium ducamus, Christi, subsistentis Dei Verbi, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, opem atque auxilium implorantes. Hic autem scopus Lectoribus propositus erit, ut eorum mens ad beatum finem tanquam ad portum appellatur, hoc est ut sensuum opera, ad id quod sensum & comprehensionem omnem excedit, hoc est ad omnium rerum causam & effectorem & architectum subuehantur. Nam ex operum suorum pulchritudine congruenti ratione creator eorum perspicitur: & inuisibilia ipsius à creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur. Quod circa si animo ab inanis gloriae studio libero, atque humili, cognitionem expetamus, id quod cupimus, consequemur. Non enim, inquit Christus, hoc est veritas, in me credere potestis, cum gloriam ab hominibus accipiatis. Ac rursus: Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

*Quis huius libri scopus sit. CAP. II.*

**Q**UONIAM quisquis nullo scopo proposito rem aliquam auspicatur, velut in tenebris ambulat (etenim ferè fit, ut qui absque vilo scopo laborat, in egestate versetur) age quid nobis in hoc libro propositum sit, prius exponamus: ut hac ratione facile percipi possint quae dicemus. Propositum igitur nobis est Philosophiam delibare, atque omnis generis scientiam breuiter, quoad eius fieri poterit, hoc volumine complecti. Ac proinde scientiae fons sanè nuncupetur. Nihil porro meum dicam, verum, quae sparsim à diuinis & eruditissimis viris dicta sunt, in vnum congesta proponam. Primum itaque fatius fuerit cognoscere, quidnam Philosophia sit.

*De Philosophia. CAP. III.*

**P**HILOSOPHIA, est eorum, quae sunt, quatenus sunt, cognitio, hoc est naturae eorum. Philosophia, est rerum diuinarum & humanarum scientia, hoc est earum quae in aspectum cadunt, & quae oculorum sensum effugiunt. Philosophia item, est mortis, tum in animi inductione sita, tum naturalis meditatio. Duplex enim vita est, naturalis nimirum, per quam viuimus: & in animi inductione sita, per quam ita praesenti vita afficimur, ut eam velut mordicis retineamus. Duplex item mors est, naturalis scilicet, quae animam à corpore disiungit: & in animi inductione sita, per quam praesentem vitam pro nihilo ducentes, ad futuram properamus. Philosophia rursus, est Dei imitatio. Deum porro per sapientiam, hoc est veram boni cognitionem, imitamur: atque item per iustitiam, qua suum cuique tribuitur, nec vllus in iudicio personarum respectus habetur: ac denique per sanctitatem, hoc est bonitatem, quae iustitiam antecellit: in eo que versatur, ut quispiam de iis, à quibus iniuria accepta, bene mereatur. Philosophia, est ars artium, & scientia scientiarum. Philosophia enim artis omnis initium est. Per eam siquidem ars omnis ac scientia inuenta est. Atque ars quidem ea est, quae nonnullis in rebus fallitur: scientia autem, quae nusquam fallitur. Sola porro Philosophia nunquam fallitur. Vel, ut aliis placet, ars est quae manuum opera aliquid efficit: scientia autem, omnis ars cum ratione coniuncta, ut Grammatica, Rhetorica, & aliae id genus. Philosophia rursus, est sapientiae amor. Vera autem sapientia Deus est. Ex quo conficitur, amorem erga Deum veram Philosophiam esse. Diuiditur porro Philosophia in Theoricam & Practicam. Theorica deinde in Theologiam, Physiologiam & Mathematicam. Practica item in Ethicam, Oeconomicam & Politicam. Ac Theorica quidem, est quae cognitionem exornat. Est igitur Theologia, ea quae corpore ac materia vacat, considerare, primum nempe Deum, qui verè ab omni materia secretus est, deinde angelos etiam & animas. Physiologia autem est rerum materia constantium, quaeque nobis in promptu sunt, cognitio, hoc

A hoc est animantium, stirpium, lapidum, aliarumque eiusmodi rerum. Mathematica verò earum rerum scientia, quæ quamuis per se corpore careant, tamē in corpore considerantur, hoc est numerorum, concentuum, ac præterea figurarum & motus astrorum. Atque ea speculatio, quæ in numeris sita est, Arithmetica scientiam constituit: quæ autem in sonis, Musicam; quæ in figuris, Geometriam: quæ denique circa sidera versatur, Astronomiam. Hæc autem <sup>per se a lego,</sup> <sup>non a se,</sup> <sup>in se,</sup> medium inter corpora, & ea quæ corpore carent, locum obtinent. Numerus enim per se quidem corporis expers est: cæterum in materia quoque consideratur, puta in tritico, aut vino, aut re aliqua simili. At verò ea Philosophiæ pars, quæ in actione sita est, circa virtutes versatur. Mores enim expolit, & quonam pacto vita instituenda sit, docet. Ac si quidem vni duntaxat homini legem fancit, Ethica dicitur. Si autem vniuersæ homini, Oeconomica vocatur. Si denique vniuersis vrbibus ac regionibus, Politica nuncupatur. Verumenimverò quidam Philosophiam de medio tollere studuerunt, quòd eam nec scientiam nec comprehensionem esse dicerent. Quos quidem ad hunc modum alloquemur: Quonam pacto Philosophiam cognitionem ac comprehensionem esse negatis? An quòd ea vobis cognita comprehensaque sit, necne? Si quia eam percepistis, en hoc ipso cognitio atque comprehensio est. Si autem eam minimè percepistis, quis tandè erit, qui vobis fidem arroget, de ea re differentibus, cuius cognitionem minimè percepistis? Quoniam igitur Philosophia est, & quidem eorum quæ sunt, cognitio, age de ente verba faciamus. Scire autem operæpretium est nos ab ea Philosophiæ parte, quæ in differendo versatur, exordiri: quæ quidem Philosophiæ potius instrumentum est, quàm pars. Nam eius opera ad omnem demonstrationem vtitur. Primum autem de simplicibus vocibus differemus, quibus per simplices notiones res simplices significantur. Cùm enim vocum significationem declarauerimus, ita demum etiam de oratione tractabimus.

*De ente, substantia, & accidente.*

## CAP. IIII.

**D** Ns, rerum omnium quæ sunt, commune nomen est: atque in substantiam & accidens diuiditur. Ac substantia quidem potior est, vt quæ in seipsa, ac non in altero existat. Accidens autem est, quod in seipso esse nequit, verùm in altero consideratur. Substantia enim, tanquam rerum materia, subiecti rationem habet: accidens autem id est, quod in substantia tanquam in subiecto consideratur. Verbi gratia, æs & cera, substantiæ sunt: figura autem & forma & color, accidentia. Atque corpus quidem substantia est: color autem accidens. Animus item substantia est: scientia autem accidens. Nec verò corpus in colore est, sed color in corpore: nec animus in scientia, sed scientia in animo: nec denique æs aut cera in figura, sed figura in cera & ære. Neque corpus coloris dicitur, sed corporis color: neque animus scientiæ, sed animi scientia: neque cera coloris, sed ceræ color. Atque color quidem & scientia & figura mutationi subiecta sunt: corpus autem & animus & cera, substantia mutationem non subeunte, eadem manent. Itémque substantia & materia corporis vna est: colores autem permulti. Eadèmq; in reliquis etiam est ratio. Subiectum porro substantia est: quod autem in subiecto, hoc est in essentia consideratur, accidens. Ad hunc autem modum substantia definitur: Substantia est res per se consistens, nec, vt existat, re vlla alia opus habens. Accidens autem est, quod in seipso esse non potest, sed in alio suum esse habet. Itaque Deus & quicquid conditum est, substantiæ sunt: quamuis alioqui Deus substantia eiusmodi sit, quæ omnem substantiam superet. Sunt etiam substantiales qualitates, de quibus inferiùs dicemus.

*De voce.*

## CAP. V.



*Facum a-  
lie signifi-  
cantes sunt,  
alie nil si-  
gnificantes.*

VANDO QUIDEM simpliciter & absolute de omni philosophica voce pertractare instituiamus, prius autem circa quas voces Philosophia verferetur, perspectum habere oportet, ab ipsa proinde voce sermonis initiu ducentes, ad hunc modum agemus. Vox autem significatione caret, aut significandi vim habet. Quæ significatione caret, ea est, qua nihil significatur. Quæ autem significandi facultate prædita est, qua aliquid significatur. Ac rursus, vox ea quæ significatione caret, aut inarticulata est, aut articulata. Inarticulata ea est, quæ scribi non potest: articulata autem, quæ scribi potest. Inarticulata igitur ac significationis experta vox ea est, quæ à saxo fortasse vel ligno existit. Nam nec litteris exaratur, nec quicquam significat. Significationis autem experta & articulata, velut Scindapsus. Hoc enim scribitur quidem, sed nihil significat. Neque enim fuit vnquam Scindapsus, nec erit. De voce igitur significationis experte, siue inarticulata, siue articulata sit, Philosophiæ nulla cura est. Rursum autem vox significandi facultate prædita, aut inarticulata est, aut articulata. Inarticulata, vt canum latratus. Nam ea canem significat, hoc est quod canis vox sit: ac præterea cuiuspiam aduentum designat: cæterum inarticulata est, proindeque in scripturam minimè cadit. Quocirca nec hanc etiam Philosophia curat. At verò significandi vim habens & articulata, vel generalis est, vel particularis. Generalis, vt homo: particularis, vt Petrus, Paulus. Itaque ne particularis quidem vocis rationem habet Philosophia: sed significantis, & articulata ac generalis, hoc est communis, & de multis usurpata. Atque hæc rursum vel substantialis est, vel aduentitia. Substantialis ea est, quæ substantiam, hoc est rerum naturam, declarat. Aduentitia, quæ accidentia indicat. Verbi gratia, homo est animal ratione præditum, mortale. Hæc omnia substantiam attingunt, Nam si quippiam horum ex homine detraxeris, homo esse desinet. Etenim si dixeris eum animal non esse, vel rationis particeps non esse, vel mortale non esse, non iam homo erit. Quiuis enim homo & animal est, & ratione præditum, & mortale. Ob eam igitur causam substantiales dicuntur, quoniam ipsæ hominis naturam omnibus numeris absoluunt, neque fieri potest vt his sublatis homo constet. Eodemque modo etiã in vnaquaque re, ea quæ ipsius naturam constituunt, substantialia dicuntur. Quæ autem aduentitia sunt, accidentia: quæ quidem peræquè in subiecto, puta in homine, vel equo, vel alia quadam eiusmodi re esse vel non esse possunt, vt candor. Quamlibet enim quispiam candidus aut ater sit, nihilominus tamè homo erit. Hæc igitur & eiusmodi aduentitia, hoc est accidentia sunt: quæ quidem, tum ipsa, tum iis contraria nobis inesse possunt. Iam verò substantialis vox, aut quid, aut quale aliquid sit, declarat. Vt si quis ex nobis sciscitetur quidnam homo sit, respondemus, animal. Deinde si quærat quidnam animal sit, dicimus, rationis particeps, mortale. Quapropter substantialis vox, quæ quale aliquid sit, indicat, differentia nuncupatur: quæ autem quidnam sit, declarat, aut multas species significat, & tum genus efficit: aut multos, qui numero quidem inter se differant, specie autem haudquaquam dissideant, ac tum speciem efficit. Ac prius quidem, hoc est genus, vt substantia. Substantia enim & hominem, & equum, & bouem significat. Quodlibet enim horum substantia verè dicitur, specie autem vnumquodque ab alio differt. Posterius autem, hoc est species, vt homo. Multos enim significat, hoc est omnes singulos homines, qui quidem numero inter se differunt (alius enim est Petrus, & alius Paulus, nec vnus sunt, sed duo) specie autem, hoc est naturam minimè inter se discrepant. Omnes enim homines & dicuntur, & re vera sunt. Ac quidem id quod specialius est ac numero differt, vt Petrus, indiuiduum, & persona, & hypostasis est: quod quidem vnum aliquè significat. Nam cum quis ex nobis percontatur quisnam hic sit, respondemus, Petrus. Significat autem etiã idem quod alius. Alius enim est Petrus, & alius Paulus, & ipse, & hic, & ille. Nam hæc & alia eiusmodi quæ per se subsistunt, sub indiuiduo comprehenduntur. Quod autem indiuidua complectitur, species appellatur, latiusque, quam indiuiduum patet, vt potè quæ multa indiuidua comprehendat. Exepli causa,

- A** causa, homo Petrus & Paulus ac singulos omnes homines comprehendit. Quod quidem de sanctorum Patrum sententia, natura & substantia & forma dicitur. Id vero quod multas species complectitur, genus appellatur. Velut animal hominem, bouem, equum continet: latiusque patet quam species. At sancti Patres speciem ac genus, naturam & formam & substantiam appellarunt. Species porro, hoc est natura, & substantia, & forma, non alium aut diuersum efficit, sed aliud. Aliud enim, quantum ad naturam spectat, hominem esse dicimus, & aliud bouem: non autem alium & alium. De specie autem dicitur hoc, & ipsum, & illud, & alia id genus: quae quidem in quid est praedicantur. At vero differentia diuersum (diuersum enim est animal rationis particeps ab eo quod rationis est expertus) & tale, & quale. Accidentalis autem vox, aut vni tantum speciei inest, aut multis. Si vni duntaxat, Proprium dicitur, vt, ad ridendum aptum esse, quod homini soli inest, & ad hinniendum aptum esse, quod soli equo. Quod si multis speciebus inest, accidens efficit, vt candor. Hoc enim & homini & equo & cani, & plerisque aliis speciebus inest. Atque haec quinque voces sunt, ad quas omnis philosophica vox redigitur. Quamobrem sciendum nobis est, quidnam quaeque significet, & quibus in rebus inter se conueniant, aut discrepent. Sunt autem haec, Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidentes. Genus est, quod de pluribus specie differentiibus in quid est praedicatur. Praedicari autem idem est quod dici ac nuncupari. Species est, quae de pluribus numero differentiibus in quid est praedicatur. Differentia est, quae de pluribus specie differentiibus in quale quid est praedicatur, atque in definitione, vt substantialis accipitur. Ea autem est, id quod non potest in eadem specie per se esse vel non esse, verum prorsus necesse est vt in ea specie sit, cuius est differentia: quamque, & cum adest, conseruat, & cum abest, interimit: neque fieri potest, vt ea & ipsa, & ipsius contrarium in eadem specie sit. Exempli gratia: Fieri non potest vt ratio homini non inest. Nam quod ratione caret, hominis nomen amittit. Haec cum adest, hominis naturam constituit: & cum abest, interimit. Neque enim quod rationis expertus est, hominis nomen obtinere potest. Sciendum igitur, eam substantialem & naturalem ac constituentem & diuidentem & specificam differentiam, & substantialem qualitatem, ac naturalem proprietatem appellari. Quae quidem apud Philosophos maxime propria differentia dicitur, vt quae maxime peculiaris sit, ac naturam eam, in qua inest, declarat. Proprium autem est, quod vni, & omni speciei, & semper inest, ac cum ea conuertitur. Verbi gratia, omnis homo ridendi facultate praeditus est: ac rursum quicquid ridendi facultate praeditus est, homo est. Accidentes autem est, quod de pluribus specie differentiibus in quale quid est praedicatur, nec in definitione assumitur, sed vel adesse vel abesse potest: sicque comparatum est, vt nec cum adest, subiectum conseruet, nec cum abest, interimat. Atque istud accidentalis differentia & qualitas dicitur. Hoc porro vel separabile est, vel inseparabile. Separabile est, quod in eadem persona nunc accedit, nunc recedit, vt sedere, recumbere, stare, agrotare, valere. Inseparabile, quod licet substantiam minimam constituat, ut potest quod in vniuersa specie minimam consideretur, tamen cum in aliqua persona existit, ab ea se iungi non potest, vt presso vel aquilino naso, vel caecis oculis esse, & similia. Hoc autem inseparabile accidentis characteristica proprietatis dicitur. Nam haec distinctio personam, hoc est indiuiduum absoluit. Indiuiduum vero, est quod ex substantia & accidenti per se subsistit, numerique duntaxat ratione ab iis quae eiusdem speciei sunt, secernitur, nec quid, sed quendam significat. De quibus accuratius deinceps Deo fauente cognoscemus.

De diuisione.

CAP. VI.

**D**IUISIO est prima rei sectio: velut, animal diuiditur in ratione praeditum, & rationis expertus. Superdiuisio autem est secunda eiusdem rei sectio, vt animal diuiditur in pedum expertus, bipes, <sup>Superdiuisio quid.</sup> & quadrupes. Pedum expertus, vt piscem, bipes vt hominem &

Bbb iij

Quid sub-  
diuisio.

auem, quadrupes vt bouem, equum, & similia. Subdiuisio autem est partis sectæ  
sectio, velut animal diuiditur in ratione præditum, & rationis expers. Ratione  
præditum, in mortale & immortale. En primùm diuiditur in duas partes, nempe  
in id quod ratione utitur, & quod à ratione auersum est. Vnius autem partis di-  
uisio, hoc est quæ id quod ratione præditum est, in mortale & immortale diuidit,  
subdiuisio est. Ceterùm diuisio ac superdiuisio non in omnibus rebus locum ha-  
bet, sed tum denique, cum non omnia sub prima diuisione comprehenduntur.  
Velut, cum animal in ratione vtens & rationis expers diuiditur, bipes, tam in iis  
quæ ratione vtuntur, quàm quæ ratione carent, consideratur. Tum igitur neces-  
sitate adducti, superdiuisione vtimur, hoc est secundam eiusdem rei diuisionem  
facimus, ac dicimus, Animal in pedum expers bipes & quadrupes diuiditur. Di-  
uidendi autem modi hac de causa octo sunt. Quicquid enim diuiditur, aut per se, G  
hoc est per substantiam diuiditur, aut per accidens. Si per se, aut vt res, aut vt vox.  
Si vt res, vel vt genus in species, vt cum animal in rationis particeps & ratione ca-  
rens diuidimus. Vel vt species in indiuidua, vt homo in Petrum & Paulum, reli-  
quosque singulos homines. Vel vt totum in partes: idque bifariam, nempe vel in  
ea quæ similia sunt partium, vel in ea quæ dissimilibus partibus constant. Id au-  
tem similia partium est, cum segmenta & nomē, & definitionem totius ac par-  
tium inter se suscipiunt: velut, caro in multas carnes diuiditur, & quæuis carnis  
pars caro dicitur, carnisque definitionem recipit. Contra dissimilium partium est,  
cum id quod sectum est, nec nomen, nec definitionem totius, aut etiam partium  
mutuò recipit, vt si quis Socratem in manus & pedes & caput diuidat. Neque enim H  
pes à Socrate sectus, Socrates dicitur, aut caput: nec totius, aut capitis defini-  
tionem recipit. Vel vt æquiua vox in diuersas significationes, idque rursus bi-  
fariam. Aut enim totum aliquid à voce significatur, aut pars. Totum nempe, vt  
canis vocabulum. Nam & de terrestri, & de sidereo, & de marino cane vsurpa-  
tur: quæ quidem totum aliquid sunt, ac non pars duraxat animantis. Pars autem,  
vt cum linguæ nomen de extrema calceamenti & tibiæ parte dicitur, aut etiam de  
ea animantium parte, in qua gustandi facultas sita est: quæ quidem partes tantum  
sunt, ac non totum aliquid. Atque ad hunc modum per se diuiditur id quod di-  
uiditur. Per accidens autem, aut vt substantia in accidentia, vt cum dico, Homi-  
num alij candidi sunt, alij nigri. Homines enim substantiæ sunt: candor autem I  
& nigror accidentia. Aut vt accidens in substantias, vt cum dico, Candidorum a-  
lia sunt animata, alia inanimata. Candor enim accidens est, animatum autem &  
inanimatum, substantiæ. Aut vt accidens in accidentia, vt si dicam, Frigida par-  
tim candida & sicca sunt, partim atra & humida. Nam & frigidum & candidum  
& siccum & atrum & humidum accidentia sunt. Est etiam alius diuidendi mo-  
dus, nempe ab vno & ad vnum. Ab vno nimirum, vt Medicina medicus li-  
ber, & medicum instrumentum. Ab vno enim, hoc est à Medicina, medica  
nuncupata sunt. Ad vnum autem, vt salubre medicamentum, salubris cibus. Vnū  
enim, eandemque rem, hoc est sanitatem, propositam habent. Eorum porro quæ  
ab vno sunt, alia ex quadam causa dicuntur, vt imago hominis ex vera causa, hoc K  
est, ex homine dicitur: alia autem vt ab aliquo exempta, vt medicum scalpellum,  
aliaque huiusmodi. Atque hæc generalis diuisio est, per quam diuiditur quic-  
quid in diuisionem cadit, vel vt genus in species, vel vt species in indiuidua, vel  
vt totum in partes, vel vt æquiua vox in diuersas significationes, vel vt sub-  
stantia in accidentia, vel vt accidens in substantias, vel vt accidens in accidentia,  
vel vt ea quæ ab vno & ad vnum. Quanquam nonnulli sunt, qui speciei in indi-  
uidua diuisionem appellandam esse negent, enumerationemque id potius esse  
asserant: quod scilicet omnis res in duo aut tria, aut raro admodum in quatuor  
diuidatur: species autem in infinitam multitudinem distribuatur. In finitam enim  
singulorum hominum multitudinem esse. Scire autem operæpretium est,  
nullo omnino diuisionis modo, id quod naturâ prius ac posterius est, in segmen-  
tis

**A** tis considerari, nec item magis & minus: at in iis quæ ab vno & ad vnum diuiduntur, tum & quod naturâ prius ac posterius est, & magis ac minus considerari. Inuenitur enim medicamentum medicamento alio salubrius, & medicus liber alio libro ad medicinam percipiendam accommodatior.

*De eo quod naturâ prius est. Cap. VII.*

**N**ATURA igitur prius est id quod secum aliquid infert, ac non simul infertur, ac rursus secum aliquid tollit, ac non simul tollitur. Velut, animal naturâ prius est homine. Sublato enim de medio animali, homo quoque tollatur necesse est. Homo quippè animal est. Contra sublato homine fieri potest vt animal sit. Erit enim equus, canis, aut similia: quæ quidem animalia sunt. Rursus illato homine animal etiam infertur. homo enim animal est. illato autem animali, non propterea hominem inferri necesse est, sed equum fortasse, aut canem, aut quippiam simile. Nam & ipsa animalia sunt. Quapropter nec Petrus naturâ Paulo prior est: nec animal ratione præditum animali rationis experti. Sublato enim Petro erit Paulus, & Paulo illato non simul infertur Petrus, neque illato Petro simul infertur Paulus. Neque Petrus magis, hoc est amplius, homo aut animal est, quàm Paulus, nec Paulus quàm Petrus. At verò medicamentum alio medicamento salubrius, & medicus liber alio libro ad percipiendam medicinam aptior reperitur.

*De Definitione. Cap. VIII.*

**D**EFINITIO est compendiosa oratio, quæ subiectæ rei naturam declarat. Velut, homo est animal rationis particeps, mortale, intelligentiæ ac scientiæ capax. Ac multi quidem de hominis natura longam atque amplam orationem habuerunt: sed quia minimè breues & compendiosa sunt, idcirco in definitionibus habendæ non sunt. Sunt rursus breues & contracti quidam sermones, vt apophthegmata: sed quia rei naturam non explicant, proinde ne definitiones quidem sunt. Quin nomen quoque persæpè subiectæ rei naturam demonstrat: nec tamen propterea definitio est. Nomen enim dictio vna est: definitio autem oratio. Oratio autem ex duabus vtminimùm dictionibus conflatur. Itaque definitio nomen est explicatum: nomen autem definitio copulata. Constat autem definitio ex genere & constituentibus, hoc est substantialibus differentiis: vt in definitione animalis. Animal enim est substantia animata, sensu prædita. Ecce enim, substantia genus est: animatum autem & sensu præditum, constituentia differentiæ. Sumitur autem etiam ex materia & forma: vt statua est ex ære facta, viri speciem significans. Æs enim materia est: viri autè species, forma. Porro materia generi, forma autem differentiæ respõdet. Adhæc ex subiecto quoque ac sine sumitur: vt Medicina est ars quæ circa humana corpora versatur, ac sanitatem conciliat. Ecce, Medicinæ subiecta sunt humana corpora: finis autem ipsius est sanitas. At verò Descriptio ex aduentitiis, hoc est ex Propriis & Accidentibus conflatur: velut, homo est animal risibile, rectis pedibus ambulans, latos vngues habens. Nam hæc omnia aduentitia sunt. Vnde etiam descriptio dicitur, velut adumbrans duntaxat, ac non substantialem subiecti existentiam declarans, sed ea tantùm quæ eam affectantur. Definitio autem ea, quæ descriptione constat, ex substantialibus & accidentalibus mixta & concreta est. Exempli gratia, homo est animal ratione præditum, rectis pedibus ambulans, latos vngues habens. Ορισμός autem, id est definitio dicitur, per metaphoram ductam à terræ terminis. Vt enim terminus id quod cuiusque proprium est, ab alieno dirimit: sic etiam definitio cuiusvis rei naturâ ab alterius rei natura distinguit. Definitionis autem virtus, atque, vt ita dicam, sanitas in hoc sita est, vt dictio.

*Definitio  
nis virtus.*

Bbb iij

nibus nec deficiatur, nec redundet. Vitium autem, ut in ea dictiones vel desideretur, vel redundant. Perfecta autem ea demum definitio est, quae cum re definita conuertitur: imperfecta autem, quae non conuertitur. Quocirca nec quae dictionibus deficiatur, nec quae redundat, cum re definita conuertitur. Nam cum dictionibus redundat, rebus deficit: cum autem dictionibus deficiatur, rebus redundat. Itaque dictu mirum artificium naturae excogitauit, nimirum opulentam egestatem, & opes egestatem mentientes. Verbi gratia, perfecta hominis definitio, est animal rationis particeps, mortale, quippe conuertitur. Nam *Omne animal rationis particeps, mortale, homo est*: & omnis homo animal rationis particeps, mortale. Si igitur vnica dicitio in ea desideretur, rebus redundat: velut, animal rationis particeps. Vides enim eam dictione vna defici (neque enim mortale adiunxi) ac rebus redundare. Non enim solus homo animal est rationis particeps: sed etiam angelus. Neque item cum re definita conuertitur. Rursum si dixero, animal ratione praeditum, mortale, grammaticum, ne sic quidem conuertitur. Vna enim dictione redundat (quia grammaticum dixi): rebus autem deficiatur. Non enim omnem hominem definiuit, sed grammaticos duntaxat. Etenim animal quidem omne ratione vtens, mortale, grammaticum, homo est: at non item omnis homo animal est ratione vtens, mortale, grammaticum. Neque enim omnis homo grammaticus est. Perfectae igitur definitiones ea sunt, quae cum re definita conuertuntur. Sed quoniam Proprium quoque cum eo, cuius est proprium, conuertitur (quicquid enim homo est, illud etiam ridendi facultate praeditum est: & quicquid ridendi facultate praeditum est, idem quoque homo est) distinctionis causa insuper adiciendum ac dicendum est, nimirum perfectas definitiones eas demum esse, quae ex genere, & constituentibus differentiis sumuntur, quaeque nec dictionibus deficiuntur, nec redundant, ac denique cum re definita conuertuntur. Eodemque modo, eas quae ex utroque, hoc est ex subiecto & fine accipiuntur, perfectas item esse. Atque interdum etiam eas, quae ex solo subiecto, cum subiectum illud alteri arti minimè subiicitur, ut vitrum arti vitrariae. Interdum item rursus ex solo fine, cum finis ille alterius artis finis esse non potest, ut in extruendarum nauium arte. Quocirca ex his omnibus intelligendum est, definitionis perfectionem in hoc sitam esse, ut cum re definita conuertatur. Differt autem hoc nomine definitio à termino, quod alterum latius est, alterum angustius. Terminus enim definitione latius patet. Nam & terrae limitem significat: & decretum ac sententiam, ut cum dicimus, Rex hoc decreuit. Indicat etiam in quem Propositio resoluitur, ut infra Deo fauente cognoscemus. Denique definitionem etiam significat. At definitio solam compendiosam orationem, qua subiectae rei natura declaratur, indicat. Intelligendum est autem definitionem in sola substantia, ipsiusque speciebus sumi: nec indiuiduum aut accidentia definiri posse, sed tantum describi. Quandoquidem definitio ex genere, & constituentibus differentiis conflatur: descriptio autem ex accidentalibus.

*Mirum naturae in definitione artificium.*

*Terminus latius patet quam definitio.*

De genere.

CAP. IX.



**N**AEQUIVOCIS tria quaerenda sunt, nimirum an vox aequiuoca sit, quotnam significationes habeat, & de qua earum sermo habeatur. Prius autem exponendum est, quid sit aequiuocum. Aequiuoca igitur sunt, cum duo aut etiam plura idem nomen habet, quoduis autem eorum aliud quippiam significat, atque diuersae substantiae est, hoc est aliam definitionem capit: quemadmodum etiam nunc in Genere res se habet. Genus enim in aequiuocorum numero est. Dicitur enim genus primum à patria & parentibus: atque vtrumque horum duplici modo, nempe propinque vel remote. A propinqua nimirum patria, ut Hierosolymitanus quispiam dicitur: à remota,

- A** remota, vt Palęstinus. Eodem modo à propinquo parente, vt cùm Achilles Pelei filius Pelides dicitur : à remoto, vt cùm idem ab atō *Æaco* *Æacides* appellatur. Nam *Aeacus* Pelei pater erat. Genus rursus dicitur habitudo ea, quæ vnius erga multos, qui ab eo ortum trahunt, existit : vt cùm omnes qui ab *Israēle* promanarunt, *Israēlitæ* dicuntur. At de his duobus generum significationibus nulla Philosophis cura est. Genus rursus id dicitur, cui subiicitur species, vt sub animali sunt, homo, equus, & aliæ species. Itaque animal genus est. Ac de hoc genere tractant Philosophi. Quod etiam ad hunc modum definitur : Genus est, quod de pluribus specie differētibus in quid est prædicatur. Vt, animal genus est, quod de homine, equo, boue, aliisque pluribus, in quid est prædicatur. Quæ quidē specie inter se discrepant. Alia enim hominis species est, alia equi, alia bouis. In quid est autem prædicatur. Nam cùm ex nobis quæritur quid sit homo, dicimus, animal. Itaque genus est id, cui species subiicitur. Nam genus in species tribuitur, latiusque patet quàm species, ac species complectitur, usque superius est. Scire enim operæpretium est superius id dici, quod generalius est : inferius autem & ad prædicationem subiectum, quod minus generale est. Est enim subiectum ad existentiam, vt substantia. (Accidenti enim, vt existat, subiicitur, quippè cùm in ipsa accidens subsistat : ) & est subiectum ad prædicationem, vt quod particulare est. Vt enim genus de specie, ita species de indiuiduis prædicatur. Non est autem dubium, quin genus specie generalius sit, speciesque item indiuiduis. De quibus accuratius infra Deo fauente differemus. Nunc verò cùm de genere verba fecerimus, de specie quoque loquamur.

## De specie.

## Cap. X.



- Q**UIN species quoque in æquiuocorum numero est. Duplici enim modo dicitur. Species nanque ipsa etiam forma dicitur, velut à quodam dictum est, *ἄριστον ἰδὲ εἶδος ἀξιῶν τυρανίδος*. Speciesque primùm rege quàm dignissima. Species rursus est id quod sub genere collocatur. Ac rursus, species est de quo genus in quid est prædicatur. Et rursus, species est id quod de pluribus numero differentibus in quid est prædicatur. Verùm primæ duæ speciei descriptiones affectione ac relatione inter se differunt, vt ascensus & descensus, atque omni speciei accommodantur : tertia autem ac postrema descriptio infima, duntaxat speciei, quæ deinceps supra indiuidua est, personæque complectitur, vt dicimus, hominis species. Diximus igitur genus triplici modo vsurpari, nempe de parente & patre (atque utroque modo bifariam) ac denique de eo cui species subiicitur. Ad eundem itaque modum species quoque duplici significatione accipitur, vna nempe pro vniuscuiusque forma : altera pro eo de quo genus prædicatur, quodque generi subiicitur, vt quod ex eo diuidatur. Ac de huiusmodi genere ac specie à Philosophis disputatur. Quoniam igitur, cùm de genere differeremus, speciei mentionem fecimus, dicentes genus id esse quod in species diuideretur, ac rursus cùm de specie sermo esset, generis item mentionem fecimus, dicentes speciem id esse quod ex genere diuideretur, sciamus oportet, quòd quemadmodum de patre loquentes, necessariò de filio quoque sermonem habemus, itemque de filio verba facientes, patris etiam mentionem facimus (hic enim est filius qui patrem habet) eodem modo hîc quoque fieri non potest, vt quisquam de genere sine specie, aut de specie sine genere pertractet. Genus enim in species diuidatur necesse est : & quod species ex se diuisas non habet, genus haudquaquam est. Consimilique ratione species ex genere diuiduntur : & quæ genere carent, species esse nequeunt. Et quemadmodum primus parens *Adamus*, cùm patre caruerit, filius non dicitur, sed pater duntaxat, quia filios habuit, *Seth* autem & filius parentis sui dicitur (patrem enim *Adamum* habuit)

& item pater eius, qui ex ipso procreatus est (nam Enos genuit) Abel rursus filius quidem dicitur, quod Adamum patrem habuerit, pater autem non item, quia filium non habuit: eodem modo in genere quoque ac specie res se habet. Primarium enim genus, quod ab altero genere non diuiditur, nec antiquius alterum genus habet, genus duntaxat est, non autem etiam species, ac genus summum dicitur. Eiusque definitio hæc est. Genus summum, est quod cum genus sit, species etiam non est, quia nullum sublimius genus habet. Quæ autem ex ipso diuisa sunt, si alias infra se species habeant quæ ex ipsis diuidantur, tum priorum, hoc est superiorum, ex quibus secantur, species sunt, genera autem eorum quæ ex ipsis diuiduntur, hoc est inferiorum, ac subalterna genera, & subalterna species dicuntur. At extrema infimaque species, quæ alias infra se species non habent, hoc est speciebus carent, atque indiuidua tantum, hoc est personas, complectuntur, genera non dicuntur, sed species duntaxat. Neque enim id genus dici potest, quod nullas species continet. Quocirca id quod nullas species, sed indiuidua tantum complectitur, infima species dicitur, quia cum species sit, non item genus est: quemadmodum contra genus, quod species etiam non est, summum genus appellatur. Nec verò illud ignorandum est, species, generis sui, atque etiam generis illius, cuius id genus species sit, usque ad summum genus, tum nomen, tum definitionem necessario accipere: species autem ipsas alteram alterius definitionem mutuo necesse non posse. Ut igitur dilucidius fiat quod dico, ad hunc modum agamus. Ens est id quod per se subsistit, nec vlla alia re, ut sit, opus habet: vel quod per se esse non potest, sed in altero suum esse habet. Substantia autem est id quod per se subsistit, nec alia re, ut sit, opus habet. En substantia totam entis definitionem haudquamquam accepit: ac proinde nec ens substantiæ genus, nec substantia entis species est. Nam species integram generis sui definitionem accipit. Eodem modo nec accidens entis species est. Neque enim integram entis definitionem, sed dimidia duntaxat partem suscipit. Accidens quippe res est, quæ per se esse non potest, sed in altero suum esse habet. En quo pacto nec substantia integram entis definitionem suscipiat, nec accidens: verum substantia dimidiam partem, accidens item dimidiam alteram partem. Quapropter licet ens in substantiam & accidens diuidatur, eorum tamen genus non est. Substantia verò in corpus, & id quod corpore caret, diuiditur. Corpus porro, & id quod corpore caret, substantiæ species sunt: quandoquidem vtrumque horum, tum nomen, tum integram definitionem substantiæ recipit. Constat itaque substantiam speciem haudquamquam esse, ut quæ sublimius genus non habeat: verum ipsam primū ac summum genus esse. Rursum corpus in animatum & inanimatum diuiditur. Hic rursus corpus, quod substantiæ species est, animati & inanimati genus est. Animatum rursus, in sensu præditum, & sensus expers. Ac sensu quidem præditum animal est, quippe quod vitam & sensum habeat: sensus autem expers, planta, neque enim ipsi sensus inest. Animata autem idcirco planta dicitur, quia vim eam habet, qua alatur, crescat ac generet. Animal rursus, in rationis particeps, & ratione carens diuiditur. Rationis particeps, in mortale & immortale. Mortale, in hominem, equum, bouem, ac familia, quæ quidem non iam item in alias species, sed in indiuidua, hoc est personas, diuiduntur. Homo enim in Petrum, Paulum, Ioannem, reliquosque singulos homines diuiditur: qui quidem non species, sed personæ sunt. Species enim, ut à nobis dictum est, aliarum definitionem minimè admittunt. Verbi gratia, corpus rei corpore vacantis definitionem non accipit: nec homo equi definitionem. At verò Petrus & Paulus & Ioannes vnā atque eandem hominis definitionem accipiunt, item quæ reliqui singuli homines. Ex quo perspicuum est eos hominis species non esse, verum indiuidua duntaxat, hoc est personas. Rursum species, cum diuiditur, tum nomen suum, tum definitionem his, quæ infra se sunt, impertit. At verò Petrus, cum in animam & corpus secatur, nec animæ nec corpori nomen definitionemque suam impertit. Neque enim sola anima Petrus est,

- A** est, nec solum corpus: sed vtrūque coniunctē. Præterea omnis diuisio, quæ à genere in species fit, aut duo, aut tria, aut raro ad quatuor vsque progreditur. Neque enim genus in quinque aut plures species diuidi potest. Homo contra in omnes singulos homines, qui quidem numero infiniti sunt, diuiditur. Quod fit, vt nonnulli diuisionem à specie in indiuidua dici debere negent, sed enumerationem. Ex quo liquet Petrum & Paulum ac Ioannem species non esse, sed indiuidua, hoc est personas: nec hominem, Petri & Pauli ac Ioannis ac reliquarum personarum, genus esse, sed speciem. Ac proinde infima species homo est. Et enim superioris species est, vt sub eo contenta: & inferiorum species, vt ea continens. Nam & quod sub genere continetur, species est: & item species, quod indiuidua, hoc est personas, complectitur. Infima igitur species id est, quod proximè supra indiuidua est. Atque ad hunc modū definitur: Species, est quæ de pluribus rebus numero differentibus in quid est prædicatur. Eodem modo & equus & canis, & similia, species sunt infimæ. Quæ autem inter summum genus & infimam speciem interiecta sunt, subalterna genera, & subalterna species sunt, species nimirum superiorum, & genera inferiorum. Atque hæc sunt substantiales ac naturales differentia atque qualitates: quæ quidem diuidentes & constituentes dicuntur, superiora nempe diuidentes, & inferiora constituentes. Siquidem corpus & id quod corpore vacat, substantiam diuidunt, eodemque modo animatum & inanimatum, corpus diuidunt, itemque sensus particeps & sensus expers, id quod animatum est diuidunt. Hæc igitur animal constituunt. Sumo enim substantiam animatam & sentientem: atque animal efficio. Animal quippe est substantia animata & sentiens. Sumo rursum substantiam inanimatam & sensu carentem: ac lapidem efficio. Rursum substantiam animatam ac sensus expertem assumo: & plantam efficio. Rursum, ratione præditum & rationis expers, animal diuidunt: mortale item & immortale, id quod ratione vtitur diuidunt: denique terrestre & in aquis degens, animal diuidunt. Sumo itaque animal, quod horum genus est, & ratione præditum ac mortale: atque hominem constituo. Homo enim animal est rationis particeps, mortale. Rursum accipio animal, & rationis expers, & mortale, & terrestre: atque equum, canem, ac similia constituo. Animal item, & rationis expers, & mortale, & aquatile accipio: ac piscem constituo. Substantiales porrò ac naturales differentia appellantur, propterea quod efficiunt, vt species ab alia specie, & natura ac substantia ab alia natura & substantia differat.

*Diuisio generis in species raro ad quatuor vsque progreditur.*

## De indiuiduo.

## Cap. XI.

**I**NDIVIDVVM quadruplici modo dicitur. Primò enim indiuiduum est, quod non diuiditur nec in partes tribuitur, vt punctum, temporis momentum, & vnitas: quæ quidem etiam *ἄτομα*, hoc est quantitatis expertia dicuntur. Secundò indiuiduum dicitur, quod agrè diuidi potest, vt adamas, & similia. Tertio indiuiduum dicitur species, quæ in alias species diuidi nequit, hoc est species infima, vt homo, equus, aliaque eiusmodi. Quarto & postremò indiuiduum id propriè dicitur, quod diuidi quidè potest, verum posteaquàm diuisum est, primam speciem haudquaquam retinet. Verbi gratia, Petrus in animam & corpus diuiditur: verum nec anima, si seorsim consideretur, perfectus homo est, aut perfectus Petrus, nec corpus. Ac de hoc indiuiduo Philosophi loquuntur: quod quidem in substantia hypostasim significat. Substantia summum genus est. Hæc in corpus, & id quod corpore caret, diuiditur. Corpus, in animatum & inanimatum. Animatum, in animal sensu præditum & sensus expers, & zoophytem, & plantam. Animal, in rationis particeps & brutum. Rationis particeps, in mortale & immortale. Mortale, in hominem, bouem & similia. Homo, in Petrum & Paulum, ac ceteros singulos homines: qui quidè sunt indiuidua, hypostases & personæ. Corpus, substantiæ species est, & genus animati,

Animatum rursus, species corporis, & genus sensu præditi animantis. Sensu præditi animal, species animalis, & genus mortalis. Mortale, species ratione præditi, & genus hominis. Homo denique infima species est. Siquidem mortalis species est, & item species Petri & Pauli, hoc est, ut sancti Patres sentiunt, natura & forma & substantia. Hæc porro, quæ inter summum genus, hoc est substantiam, & inter infimam speciem, hoc est hominem & bouem ac similia, interiiciuntur, subalterna genera, & subalternæ species sunt. Hæc autem substantiales & naturales differentia atque qualitates dicuntur, quæ superiora diuidunt, & inferiora constituunt, & infimas species informant: eas nimirum constituentes, ac naturam à natura diuidentes. At natura in infima specie collocatur.

## De differentia. Cap. XII.

**D**IFFERENTIA & qualitas ac proprietas, subiecti quidem ratione vnum sunt: at si vim & facultatem spectes, inter se discrepant. Nam ratione præditum esse, tum qualitas hominis, tum proprietas, tum differentia dicitur: verum alia atque alia ratione. Ut enim substantiam qualitate afficit, ac velut informat, qualitas dicitur. Ut rursus propria huiusce substantiæ facta est, proprietas vocatur. Denique si cum bruto animali, puta boue, aut mulo, aut cane, comparatur, differentia nuncupatur. Per eam enim homo à brutis differt. Hæc porro triplici modo vsurpatur, communiter nempe, & proprie, & maxime proprie. Neque enim duæ res inueniri possunt, quæ non aliqua ratione inter se diffideant. Aliis igitur rebus species à specie, aliis hypostasis ab eiusdem generis substantiæ quæ hypostasi, aliis denique hypostasis à seipsa differt. Etenim hominis species ab equi specie differt, quatenus alter ratione utitur, alter ratione caret. Diciturque ratione uti, & ratione carere, substantialis differentia. Eodémque modo quicquid illud est, per quod species à specie discrepat, naturalis & substantialis, & constituendi atque informandi facultate prædita, differentia & qualitas dicitur, ac naturalis proprietas, quæ quidem omni speciei citra ullam immutationem inest: atque apud Philosophos maxime proprie differentia nuncupatur, ut quæ maxime propria sit, naturam quæ declaret. Rursum hoc nomine homo ab homine, aut equus ab equo, aut canis à cane, hoc est indiuiduum ab eiusdem generis indiuiduo differt, quod ille magnus, hic paruus sit, ille senex, hic iuuenis, ille pressis naribus, hic aduncis, ille prudens, hic stolidus. Hæc omnia, hoc est accidentales differentia atque qualitates dicuntur. De quibus deinceps verba faciemus.

## De accidenti. Cap. XIII.

**A**CCIDENS est quod citra subiecti corruptionem accedit ac decedit. Ac rursus, Accidentis est quod potest & esse & non esse. Potest enim fieri ut homo albus sit, vel non albus: eodemque modo, ut longus sit & prudens, & pressis naribus. Hoc autem nec cum adest, speciem conseruat (non enim ad speciei definitionem assumitur) nec cum abest, eandem labefacit. Quantumvis enim athiops candore careat, nihil hinc detrimenti contrahet ad hoc ut homo sit. Accedit igitur ac decedit: nec interim subiectæ substantiæ detrimentum vllum affert. Diximus enim substantiam accidenti subiecti ac materiæ loco esse. Hoc porro accidens bifariam diuiditur, nempe in eam, quæ communiter dicitur, differentiam, & in eam, quæ proprie. Communiter differentia, est accidens separabile: ut sedet quispiam, & alter stat. Potest enim, si consergat qui sedebat, & sedeat qui stabat, ipsorum differentia separari, aliamque pro alia accipere. Quin à seipso etiam quispiam, separabilis accidentis ratione, differre dicitur. Etenim dum sedet ac surgit, dum ætate floret ac fenescit, dum ad-

uerfa

A uersa valetudine laborat & sanus est, itémque in similibus, à seipso differt. Propriè autem differentia est, accidens illud quod submoueri non potest. Vt si fit aliquis pressis naribus, fieri non potest vt hæc notum pressio ab eo remoueat. Eodémque modo de cæsis oculis, aliisque similibus dicendum est. Itaque iuxta hæc atque alia eiusmodi inseparabilia accidentia, indiuiduum ab indiuiduo, hoc est hypostasis ab hypostasi differt: à seipso autem quisque, nunquam. Hæc porrò ad naturæ definitionē nihil momenti afferunt. Potest enim homo & pressis naribus esse, & non esse: ac decedente glaucitate nihilò secius homo remanebit.

## De Proprio.

## Cap. XIII.

**B** PROPRIUM quadruplici modo dicitur. Primùm, quod soli speciei inest, sed non omni: quemadmodum homini Geometram esse. Solus enim homo Geometra est, at non omnis homo Geometra. Secundò, quod omni quidem speciei inest, at nõ soli: vt bipedè esse. Bipes enim omnis homo est: at non homo dütaxat bipes est, sed etiã columba, & similia. Tertiò, quod omni quidem ac soli, at non semper: quemadmodũ homini canescere. Hoc enim omni ac soli homini cõuenit: at non semper, verũ in senili tantũmodo atate. Quartò denique, quod tribus primis in vnũ cõeuntibus efficitur, hoc est omni & solo, & semper, atque etiã conuertitur: vt risus homini, hinnitus equo, aliãque id genus. Solus enim homo ridendi facultate præditus est, & omnis homo, & semper: etiã si non semper ea vtatur. Etenim, quicquid est homo, ridendi quoque facultate præditum sit necesse est: & quicquid ridendi facultate præditum est, homo sit necesse est. Hoc enim est conuerti ac recipiari. Ac de hoc Proprii significatũ à Philosophis differitur. Quod etiã ad hunc modũ describitur: Propriũ est, quod omni & soli speciei & semper inest. Hoc autẽ trifariã diuidunt, nempe ab instrumentaliũ partiũ efformatione, vt latos vngues habere, & erecto corpore incedere, homini propriè conuenit. Ab actu: vt igni in superas partes ferri. A potentia: vt igni calefaciendi vim inesse dicimus, aliorum corporũ calores superantem. Dicitur autem proprium accidentale & substantiale.

## De Prædicatis.

## Cap. XV.

**D** MNE prædicatum aut latiùs patet quàm subiectum, aut æquè minus autem latè, nunquam. Latiùs nimirũ, cùm quæ latiùs patent, de his quæ minus latè patent, prædicantur. Latiùs porrò patent superiora: minus latè, inferiora. Quare cùm ens omnium summum sit, de omnibus quoque proinde rebus prædicatur. Nam & substantia ens dicitur: & accidens item ens dicitur. Illud autem dicere non possumus, ens substantiam esse. Non enim ens substantia solũ est, sed etiam accidens. Eodem modo genera de speciebus prædicantur, vt quæ latiùs pateant. Contrã, species de suis generibus minimè prædicatur: propterea quòd species minus latè patet, quàm genera. Quocirca substantia de animali prædicatur, & animal de homine. Nã & animal substantia est: & homo animal. At non item cõuerso modo. Quippè omnis quidem homo animal est: at non omne animal homo. Siquidè & equus & canis animalia sunt. Eodem modo omne animal substantia est: at non item omnis substantia animal. Nam & lapis & lignum substantiæ sunt, nec tamen propterea animalia sunt. Consimilem in modum species quoque, vt latiùs patens, de indiuiduis prædicatur, hoc est de hypostasibus, quæ sub ipsa cõtinentur: at indiuiduũ, hoc est hypostasis, de specie minimè prædicatur: propterea quòd persona minus latè patet, quàm species. Itaq; & Petr⁹ & Paul⁹ homines sunt: at non itè omnis homo Petr⁹ aut Paul⁹ sunt enim aliæ quoq; hypostases sub hominis specie. Quin differentia quoq; de speciebus, quibus insunt, ac de ipsarũ indiuiduis prædicatur.

Latius etenim patet differentia, quam species: Etenim ratione præditum esse, latius patet quam hominis species. Nam omnis quidem homo ratione præditus est: at non item quicquid ratione præditum est, homo est. Quippe angelus quoque rationis particeps est, nec tamen propterea homo est. Atque huiusmodi sane est prædicatum quod latius patet. Illud autem quod æquè ac subiectum patet, tum demum existit, cum conuersioni locus est. Prædicantur enim propria de speciebus, quarum propria sunt: atque item species de propriis suis prædicantur. Ut enim omnis homo ridendi facultate præditus est: ita quisquis ridendi facultate præditus est, homo est. Quamuis enim simia quoque ridere dicatur: tamen in pectore non ridet, sed gestu solo. Est enim imitandum animal. Quapropter generum de speciebus, & differentiarum de speciebus, & specierum de indiuiduis prædicatio latior dicitur: priorum autem, æqua. Hæc porro quæ æqualia sunt, quia conuertuntur ac vicissim alterum de altero prædicantur, ἀντιστρέφουσα & ἀντιπροσώπια dicuntur.

*De vniuoca & equiuoca prædicatione.*

Cap. XVI.

**V**NIUOCA prædicatio est, cum subiectum, & nomen & definitionem ipsius nominis accipit: ut animal de homine prædicatur, accipitque homo tum nomen, tum definitionem animalis. Animal enim est substantia animata, sensu prædita. Homoque item hanc definitionem suscipit, nam etiam homo substantia est animata sensu prædita. Æquiuoca autem prædicatio est, cum nomen quidem suscipit: definitionem autem non item: ut hominis imago, hominis quidem nomen suscipit: hominis autem definitionem minimè admittit. Hominis enim definitio hæc est, animal rationis particeps, mortale, intelligentiæ & scientiæ capax. At imago nec animal est (neque enim animata est) nec ratione utitur, nec intelligentiæ ac scientiæ capax est. Illud autem scire operæpretium est, quod quæcunque de re aliqua tanquam de subiecto, hoc est vniuocè, prædicantur, eadem de ipsius quoque subiecto prædicantur. Exempli gratia: animal de homine tanquam de subiecto prædicatur, hoc est vniuocè, & homo de Petro. Petrus enim homini subiicitur. Prædicatur itaque etiam de Petro animal, nam Petrus quoque animal est. Subiectum porro duplici modo dicitur: nimirum vel ad existentiam, vel ad prædicationem. Ad existentiam, quemadmodum substantia accidentibus subiicitur. Nam in ea suum esse habent, neque ea remota subsistunt. Quod autem ad prædicationem subiectum est, particulare est. Nam quod particulare est, ei quod vniuersale est, ad prædicationem subiicitur. Quandoquidem quod vniuersale est, de particulari prædicatur, ut animal de homine. Dicitur autem id quod vniuersale est, de subiecto: quod autem particulare, subiectum ad prædicationem. Dicitur item accidens in subiecto substantia: substantia autem subiectum ad existentiam.

*De Prædicationibus in quid est & quale est.*

Cap. XVII.

**A**LIA est prædicatio in quid est: & alia in quale quid est. In quid est, ut cum interrogati quid est homo, dicimus, animal. In quale quid est, ut cum, percontanti cuidam quale est animal, respondemus, rationis particeps, mortale. Itaque genus & species in quid est prædicantur: differentia autem tam substantialis quam accidentalis, hoc est accidens & proprium, in quale quid est prædicantur. At vobis hypostasis, nec quid est, nec quale quid est ostendit, sed quis est. Nam si quis ex nobis sciscitetur quis hic sit, dicimus, Petrus: ac deinde si querere pergat quid sit Petrus, dicimus, homo: quod si etiam rursus querat qualis homo, dicimus fortasse, magnus aut minutus. Illud porro sciendum est, ea quæ naturâ differunt, aliud atque aliud dici. Dicimus

- A** cimus enim, aliud est homo, aliud equus: aliud inquam, quantum ad naturam attinet. Etenim alia est hominis species, alia equi. Quæ autem numero differunt, hoc est hypostasies, alijs atque alijs dicuntur. Dicimus enim, alius est Petrus, alius Paulus. At dicere non possumus, aliud est Petrus, aliud Paulus. Aliud qui falsò id dicemus. Naturâ enim vnum sunt, non autem numero vnus. Illud etiam scire operæpretium est, substantiam quidem, atque item substantiales differentias aliud vocari: accidens autem ἀλλοίον, i. alterius qualitatis; propterea quòd substantiales differentia circa speciem, hoc est circa naturam, considerantur, eamque constituunt: accidens autem circa indiuiduum. Etenim accidentia hypostasim constituunt. Aliud igitur est homo, & aliud equus: alius autem ac diuersus Petrus, & alius ac diuersus Paulus. At omnis tam substantialis quàm accidentalis differentia, qualitatis dissimilitudinè inducit. Siquidem τὸ ἕτεροίον & aliud, & diuersum significat. Ac natura quidem quid significat: persona autem quendam & quid, omnis verò differentia quale est.

*In quibus quinque simplices voces inter se conueniant ac dissideant.* Cap. XVIII.

- C** **L**VD scire attinet, quinque voces eo nomine inter se conuenire, quòd omnes de pluribus prædicantur. Hac autem ratione inter se discrepare, quòd genus de pluribus specie differentibus in quid est prædicatur: species autem de pluribus numero differentibus in quid est prædicatur: differentia autem & accidens de pluribus specie differentibus in quale quid est prædicatur: proprium denique de pluribus numero differentibus, hoc est de vna specie ipsiusque indiuiduis, in quale quid est prædicatur. Porro inter differentiam & accidens hoc interest, quòd differentia substantialis est, hoc est pars substantiæ subiecti: accidens autem haudquaquam pars substantiæ, sed aduentitia.

*In quibus rebus genus & differentia inter se conueniant ac dissideant.* Cap. XIX.

- D** **I**TER genus & differentiam hoc commune est, quòd vtrumque species comprehendat, atque vniocè de speciebus & indiuiduis prædicatur. Illud autem scire conuenit, quòd quæcunque de re aliqua tanquam de subiecto, hoc est vniocè, prædicantur, de ipsius quoque subiecto vniocè prædicabuntur: quæ autem æquiuocè, non itè. Hac autem ratione inter se dissident, quòd genus latius patet quàm differentia, quæ ipsi subiectæ sunt, quamque aliæ tres voces: quòd præterea genus potestate differentias complectatur: quòd naturâ differentias antecedit: quòd in quid est, differentia contra in quale quid est prædicatur: quòd propinquum genus vnum sit, differentia autem plures: quòd denique genus materiæ, differentia autem formæ respondeat.

*In quibus rebus genus ac species inter se conueniant ac dissideant.* Cap. XX.

- E** **I**TER genus ac speciem hoc còmune est, quòd de pluribus in quid est prædicatur: quòd naturâ ea quæ infra ipsa sunt, antecedit: quòd vtrūq; totū quippiã sit. Hæc autè & generi & speciei peculiaris sunt, quòd genus latius quàm species pateat: quòd species genus differentias antecellat: quòd genus vniocè de specie prædicatur, species autem de genere non item: quòd nec genus vllū infimū, sit, nec item vlla species summa, nec quòd summum est, species vnquam esse possit, nec quòd infimum, genus.

*In quibus rebus genus ac species inter se conueniant ac  
dissideant. Cap. XXI.*

**I**NTER genus ac proprium istud commune est, quòd ambo species sequuntur, hoc est de iis prædicantur: quòd ambo de iis, de quibus prædicantur, æquè prædicantur: quòd vniocè prædicantur. Hæc autem inter genus ac speciem discriminis est, quòd genus naturâ propriû antecedit: quòd genus de pluribus speciebus prædicatur, proprium autem de vna: quòd proprium cum specie conuertitur, genus autem non item: quòd denique proprium soli speciei insit, genus autem non soli.

*In quibus rebus genus & accidens inter se conueniant ac  
dissideant. Cap. XXII.*

**H**OC inter genus & accidens commune est, quòd vtrumque de pluribus prædicatur. Hæc autem generi & accidenti peculiaria sunt, quòd genus species eas, quibus accidentia insunt, antecedit: accidentia autem speciebus posteriora sunt: quòd generis participatio peræquè est, accidentium non item: quòd accidens primùm indiuiduis inest, atque ita deinde speciebus, genus autem contrâ: quòd denique genera in quid est prædicantur, accidentia autem in quale quid est, vel quo pacto se habet.

*In quibus rebus differentia & species inter se conueniant ac  
dissideant. Cap. XXIII.*

**I**NTER differentiam & speciem hoc commune est, quòd peræquè participantur: quòd semper iis, à quibus participantur, adsunt. Hæc autem ipsis peculiaria sunt, quòd differentia in quale quid est, species autem in quid est prædicatur: quòd differentia plures species earumque indiuidua complectitur: quòd differentia naturâ species antecedit: quòd differentia cum differentiis componitur, species autem cum specie nequam.

*In quibus rebus differentia & proprium inter se conueniant  
ac dissideant. Cap. XXIII.*

**I**NTER differentiam ac proprium hoc commune est, quòd peræquè de his quibus insunt prædicantur: quòdque semper & omni speciei insunt. Hæc autem ipsis peculiaria sunt, quòd differentia multas species complectitur, proprium autem vnam duntaxat, quòdque differentia cum specie non conuertitur, proprium autem conuertitur.

*In quibus rebus differentia & accidens inter se conueniant  
& dissideant. Cap. XXV.*

**I**NTER differentiam & accidens hoc commune est, quòd vtrūque de pluribus in quale quid est prædicatur: & quia differentia & accidens inseparabile iis semper insunt de quibus prædicantur. Hæc autem ipsis peculiaria sunt, quòd differentie continent, non autem continentur: accidentia autem continentur. Quauis enim ambo ista species complectantur, vt quæ de pluribus speciebus prædicentur: at differentia tamen non continetur, quoniam eadem species contrarias differentias minimè suscipit: accidens contrâ continetur, quia eadem species

**A** cies & idem indiuiduum multa accidentia sæpe etiam inter se contraria suscipit. Huc accedit, quòd differentia magis & minus recipit, accidens autè minime. Atque item illud, quòd contraria differentia misceri inter se nequeunt: contraria autè accidentia misceri possunt.

*In quibus rebus species & proprium inter se conueniant ac dissideant.* Cap. XXVI.

**B** **I**NTER speciem & proprium hoc commune est, quòd vicissim de se prædicantur, hoc est inter se conuertuntur: quòd æquè participantur: quòd indiuiduorum, à quibus participantur, alteri magis, alteri minus, sese non impertiunt. Inter ipsa autem hoc discriminis est, quòd species substantialis est, proprium autem accidentale: quòd species semper actu est, proprium autem semper & potentia & actu: quòd quæ diuersas definitiones habent, ipsa quoque scilicet diuersa sunt.

*In quibus rebus species & accidens inter se conueniant ac dissideant.* Cap. XXVII.

**C** **I**NTER speciem & accidens hoc commune est, quòd de pluribus prædicantur. Hoc autem discriminis est, quòd species in quid est, accidens in quale quid est prædicatur: quòd speciei participatio vnius duntaxat sit, at multorum accidentium quispiam particeps esse potest: quòd species natura prior sit accidentibus: quòd speciei participatio æqualitatem habeat, accidentia autem magis & minus suscipiant.

*In quibus rebus proprium & accidens inseparabile tum conueniant, tum dissideant.* Cap. XXVIII.

**D** **I**NTER proprium & inseparabile accidens hoc commune est, quòd ea quibus insunt, sine ipsis consistere nequeunt: quòdque vtrumque semper insit. Hoc autem inter ea interest, quòd proprium vni speciei inest, accidens autem pluribus: quòd proprium cum specie conuertitur, accidens autem non item: denique quòd accidens magis & minus admittit, proprium autem haudquaquam.

*De hypostasi & enypostato.* Cap. XXIX.

**E** **I**YPOSTASEOS vocabulū duplicē significationē habet. Nā cum absolute vsurpatur, substantiā quæ absolute est, significat. At separata hypostasis indiuiduum significat, certāque personā. Eodem etiā modo, Enypostaton duplicē significationem habet. Nam & id quod absolute est, significat: (atque hoc significatu, nō modò substantiā eam quæ absolute est, sed etiam accidens Enypostaton appellamus:) & itē separatam hypostasim, hoc est indiuiduum. Quin Anypostaton quoque duplici modo vsurpatur. Nā & anypostaton dicitur, quod nulquā omninò est: ac rursus accidens etiā anypostaton dicitur, propterea quòd accidens propriam ac peculiarem existentiam non habet, sed in substantia subsistit.

*De substantia, & natura, & forma, & indiuiduo, & persona, & hypostasi.* Cap. XXX.

**F** **X**TERNI Philosophi, ad eum quem diximus modum, substantiæ ac naturæ differentiam tradiderunt: substantiam nimirum dicentes, simpliciter & absolute esse, naturam autem, substantiam à substantialibus differentiis informatam, atque cum eo quod absolute sit etiam certo quodam modo esse habentem, siue rationis participem, siue brutam, siue mortalem, siue immortalem, hoc est ipsam, vt ita dicam, æquè immutabilem atque ab

omni conuersione alienam originem & potentiam vniciue speciei à summo illo opifice motus causa inſitam, angelis nempe ad intelligendum, cogitationeſq; ſuas ſine ſermonis ope inter ſe cõmunicandum, hominibus autem ad intelligendum & ratiocinandum, cogitationeſque in pectore conditas ſermonis adiumento ſibi inuicem impertiendum, brutis item vitalem & ſentiendi ac reſpirandi facultate præditum motum, ſtirpibus vim eam qua aluntur, augentur, ac generant, ſaxis denique eam vim, qua calore aut frigore afficiantur, atque à loco in locum ab altero impellente profiſcentem, hoc eſt inanimatã, migrationem. Hanc inquam naturam appellarunt, hoc eſt inſimas ſpecies, vt angelum, hominem, equum, canem, bouem, velut generaliora, & hypoftaſes complectentia, atque in ſingulis hypoftaſibus, quæ ſub ipſis continentur, æque ac ſemper exiſtentia. Itaque quod particularius eſt, hypoftaſim vocarunt: quod autem generalius eſt, atque hypoftaſes comprehendit, naturam nuncuparunt: denique exiſtentiam eam, quæ abſolutè eſt, ſubſtantiam nominarunt. At ſancti Patres, prolixas & ineptas contentiones miſſas facientes, id quod commune eſt ac de multis dicitur, hoc eſt inſimam ſpeciem, ſubſtantiam & naturam & formam appellarunt, vt angelum, hominem, equum, canem, & ſimilia. (Etenim *ὅτι* ab eo quod fit dicitur, & natura ab eo quod natum ſit. Eſſe porro, & natum eſſe, idem ſunt. Atque etiam forma & ſpecies eandem cum natura ſignificationem habent.) Quod autem particulare eſt, indiuiduum & perſonam & hypoftaſim nuncuparunt, vt Petrum & Paulum. Hypoſtaſis porro ſubſtantiam cum accidentibus habere, ac per ſe ſubſiſtere debet, & ſenſu, hoc eſt actu, conſiderari. Nec verò fieri poteſt, vt duæ hypoftaſes accidentium, ratione ac numero inter ſe non differant. Illud denique ſciendum eſt, characteriſticas proprietates accidentia eſſe, quibus tanquam certis notis hypoftaſis exprimitur.

De *Æquiocis.*

## Cap. XXXI.

**Æ**QUIVOCA ſunt, quæ nomine quidè inter ſe conueniunt, ceterum definitione aut deſcriptione differunt: vt canis nomen æquiuocum eſt. Nam & terreſtrem & marinum canem ſignificat. Alteram porro definitionem habet terreſtris canis, & altera marinus: quandoquidem etiam diuerſa vtriuſque natura eſt. Sic autem æquiuoca deſcribunt: *Æquiuoca ſunt, quorum nomen duntaxat commune eſt, ratio autem ſubſtantie ſecundum nomen diuerſa.* Hic autem per rationem definitio atque deſcriptio intelligitur. Per hæc autem verba, *ſecundum nomen*, hæc indicatur, diuerſam eſſe definitionem ipſius nominis, † cuius ratione ſunt æquiuoca. Vt, terreſtris & marinus canis, per canis vocabulum *Æquiuoca ſunt.* Nam ſi velit quiſpiam terreſtris canis & marini definitionem afferre, quatenus vterque ipſorum canis vocatur, alteram terreſtri, alteram marino cani definitionem tribuet. Fieri autem ruruſus poteſt, vt & definitione, & nomine inter ſe conueniant. Vtrumque enim animal eſt, ac proinde animalis definitionem ſuſcipit. At nominis ratione æquiuoci non ſunt, ſed vniuoci potiùs. In æquiuocis porro tria quaerenda ſunt, nempe an ſint æquiuoca, tum de quot ſignificationibus dicantur, ac poſtremo de quo ſignificatu interrogatio facta ſit.

† *καὶ* δ.  
νό *καὶ* δ.  
δ.

De *Vniuocis.*

## Cap. XXXII.

**V**NIUOCA ſunt, quæ & nomine, & eiufdem nominis definitione vel deſcriptione inter ſe cõueniunt: velut animal & hominẽ & equum ſignificat, & iuxta hoc nomẽ, hoc eſt animal, vniuoci ſunt. Vterque enim horum & nomẽ & definitionem animalis ſuſcipit. Sic autẽ vniuoca deſcribuntur: *Vniuoca ſunt, quorum & nomẽ commune eſt, & ſecundum nomen ratio ſubſtantie eadem.*

De

## A De Polyonymis. CAP. XXXIII.

**P**OLYONYMA sunt, quæ definitione quidem inter se conueniunt, nomine autem dissident, hoc est quando res eadem multis nominibus appellatur: vt gladius, ensis, mucro. Hæc enim omnia nomina vnã & eandem definitionem suscipiunt, nempe ferrũ, anceps, hoc est vtraq; parte acutum. Sic autem polyonyma describuntur: Polyonyma, sunt multa nomina, quæ de eadem re dicuntur.

## De alteris &amp; heteronymis. CAP. XXXIIII.

**V**AE autem vtroque modo, hoc est & nomine & definitione inter se discrepant, aut vnum subiectum habent, & tum heteronyma dicuntur, vt ascensus & descensus (vnum enim subiectum scalam habent) aut non idem subiectum habent, & tum altera dicuntur, vt substantia & accidens. Nam hæc & alterum nomen, & alteram descriptionem habent. Vtrorumque autem, hoc est & heteronymorum & alterorum, hæc est descriptio: quorum nomen & definitio diuersa est.

## De Denominatiuis. CAP. XXXV.

**V**NT autem nonnulla, quæ inter vniuoca & æquiuoca medium locum obtinent, atque & nomine & definitione partim conueniunt, partim dissident, quæ quidem denominatiua dicuntur, vt à Grammatica Grammaticus. Nomine quippè conueniunt: verum nominis fine, hoc est extrema syllaba, dissident. Ac rursus definitione conueniunt ac discrepant, quoniam Grammatica cognitio est, Grammaticus autem substantia in qua est cognitio. Denominatiua autem sunt, quæ ab aliquo dissidentia, casu, hoc est nominis inflexione, appellationem nanciscuntur. Sciendum est autem, quod nec Grammatica, nec Musica, nec iustitia denominatiua sunt: sed Grammaticus & Musicus & iustus. Nam Grammaticus à Grammatica denominatur, & Musicus à Musica, & iustus à iustitia. Illud item scire attinet, quod denominatiua, ea à quibus denominata sunt, complectuntur, vt Grammaticus Grammaticam, iustus iustitiam. Quæ autem ab vno, nequaquam. Neque enim Medicum instrumentum Medicinam continet.

## De decem summis generibus. CAP. XXXVI.

**A**, **Q**VAE dicuntur, partim absolute & sine complexione dicuntur, vt substantia & accidens ac similia: partim cum complexione, vt equus currit, Socrates philosophatur. Eorum autem, quæ absolute ac sine complexione dicuntur, aliud substantiam significat, vt homo, equus: aliud quantitatem, vt duo, tria, bicubitum, quadricubitum: aliud ad aliquid, vt pater, filius: aliud quale, vt album, nigrum: aliud vbi, vt in templo, in foro: aliud quando, vt anno superiore, hodie: aliud situm esse, vt stare, sedere: aliud habere, vt indutum esse, calceatum esse: aliud agere, vt vrere, secare: aliud pati, vt vri, secari. Hæc decem prædicamenta dicuntur, quia de quibusdam prædicantur. Sciendum est autem vnumquodque horum generum summum genus esse. Horum porro decem prædicamentorum, hoc est summorum generum, vnum duntaxat substantia est, reliqua nouem, accidentia. Sunt autem hæc, Substantia, Quantitas, Ad aliquid, Qualitas, Quando, Vbi, Situm esse, Habere, Agere, Pati.

**H**OMOGENEA sunt, quæ sub eodem prædicamento collocantur. Heterogenea contrà, quæ sub alio atque alio sunt. hæc enim genere diuersa sunt. Rursum Homoidea sunt, quæ sub eadem specie censentur, substantiæque ratione inter se conueniunt, vt Petrus & Paulus. Heteroidea contrà, quæ specie inter se differunt, hoc est quæ substantiæ ratione inter se dissident, vt homo, equus. Numero autem differunt, quæ per accidentium connexionem distinctam ac secretam hypostasis suæ proprietatem habent, ac peculiarem existentiam nacta sunt, hoc est indiuidua, vt Petrus, Paulus, & singuli homines. Eorum porrò, quæ prorsus heterogenea sunt, diuersæ quoque species ac differentiæ sunt, vt animalis & scientiæ. Animal enim sub substantia est, scientia sub qualitate. Atque animalis quidem differentiæ, si de constituentibus loquamur, sunt animatum & sensu præditum: si diuidentibus, rationis particeps & rationis expers, volucre, terrestre, & aquatile. Scientiæ contrà, constituentes quidem differentiæ sunt hæc, animatis ac ratione præditis inesse, ac præterea, mutationem agrè admittere: diuidentes autem, Grammatica, Philosophia. Cuius enim prædicamenti genus est, eiusdem etiam species est, atque ipsius speciei differentiæ. At verò nihil prohibet subalternorum generum, ac subalternarum specierum eandem differentiæ esse, tamen si non omnes: velut animal aliquid quod animal non sit, efficere non potest. Differentias autem hoc loco, eas demum intelligo, quæ ipsa constituunt. Scire autem operæpretium est, excepta substantia reliqua nouem prædicamenta, etiam accidentia sunt, habere tamen singula, tam constituentes, quàm diuidentes differentiæ, & vnumquodque summum genus esse, atque & species, & genera subalterna, & infimas species complecti. Etenim vbi genus est, illic quoque speciem ac diuidentes differentiæ esse necesse est. Nam hæc sunt, quæ genera in species diuidunt. Ac rursum vbi species sunt, illic etiam constituentes differentiæ sunt. Siquidem hæc sunt, quæ species constituunt. Iam verò vnum tribus modis vsurpatur, nempe aut genere, vt dicimus hominem & equum genere vnum & idem esse: quandoquidem sub vno genere sunt, hoc est sub animali. Aut specie, vt Socratè & Platonè, qui sub eadem specie sunt, hoc est sub homine, specie vnum & idem esse dicimus. Aut denique numero, vt Socratem vnum seorsim esse dicimus, à reliquis hominibus seiunctum.

*Vnum tribus modis vsurpatur.*

De in aliquo.

Cap. XXXVIII.

**I**N ALIQUO vndecim modis dicitur. Vt genus in specie, quemadmodum animal in hominis definitione. Vt species in genere, quemadmodum homo in animalis diuisione. In loco, quemadmodum sacerdos in templo. In tempore, quemadmodum Noë in diluuij tempore. In vase, quemadmodum vinum in poculo. Vt totum in partibus, quemadmodum Socrates in suis membris, nimirum in capite, & manibus ac pedibus. Quanquam hoc non est in aliquo, sed in aliquibus. Vt pars in toto, quemadmodum & caput & manus in Socrate. Vt forma in materia, quemadmodum statuæ materia in ære. Vt in causa efficiente, quemadmodum in Deo omnia sunt. Vt in causa finali, quemadmodum lectus in hominum requie: siquidem vt homines conquiescant, lectus efficitur. Vt in subiecto, quemadmodum candor in corpore. Intelligendum est autem partes tætius dici: at non item totum partium, verum totum in partibus.

De substantia.

Cap. XXXIX.

Substantia

**A** **S**UBSTANTIA est res per se existens, nec alio vilo, ad hoc vt sit, opus habens. Rursum, Substantia est quicquid per se subsistit, neque in alio suo esse habet, hoc est quod non propter aliud est, neq; in altero existentiam suam habet, neque vt consistat altero opus habet, verum in seipso est, atque in ipso quoque accidens suum esse habet. Nam color propter corpus existit, vt ipsum colore afficiat: non autem contra corpus ob colorem. Et præterea color in corpore inest: ac non item corpus in colore. Ac proinde color quoque corpus dicitur, non autem corpus coloris. Quippè sæpenumerò, mutato colore, substantia, hoc est corpus, haudquaquam mutatur, verum statum suum retinet. Dicitur autem *ὅτι* ab eo quod sit.

**B** *De Natura.* CAP. XL.

**N**ATURA est principium motus & quietis cuiuslibet rei. Verbi gratia, terra mouetur, cum germen edit: quiescit autem, quantum ad transitum de loco ad locum attinet. Neque enim è loco in locum mouetur. Quocirca origo & causa huiusce motus & quietis, per quam ita res quæque nata est, substantialiter, hoc est naturali modo, ac non ex accidenti, moueri atque quiescere, natura nuncupatur: ab eo videlicet, quod ita nata sit & existat. Hæc porrò nihil aliud est quàm substantia: siquidem à substantia huiusmodi vim nanciscitur, hoc est motum & quietem: atque substantia huiusce motus & quietis causa est. *φύσις* autem, ad est natura, *παρὰ τὸ πεφυκέως*, hoc est natum esse, dicitur.

*De Forma.* CAP. XLI.

**F**ORMA est substantia, à substantialibus differentiis tanquam informata, & specificata, quæ quidem infimam speciem significat. Verbi gratia, substantia, quæ à corpore animato & sensu prædito informata & specificata est, atque animal absoluit, rursum quæ ratione præditum & mortale assumpsit, hominis speciem efficit: quæ quidem infima species forma dicitur, velut substantia informata. Porrò sancti Patres substantiæ & naturæ ac formæ nomen infimæ speciei attribuunt. Idemque substantiam, & naturam, & formam, & infimam speciem esse statuunt: atque eiusdem substantiæ, & naturæ & speciei & generis & formæ esse dicunt indiuidua, quæ sub eadem infima specie collocantur. Diuersæ autem substantiæ ac naturæ & speciei, & generis & formæ infimas species esse pronuntiant. Neq; enim fieri posse, quin species alterius substantiæ & naturæ & formæ sit, quàm alia species, aut natura quàm alia natura, aut substantia quàm alia substantia. Scire autem operæpretium est, ex duabus substantiis, hoc est naturis, vnâ compositam naturam fieri non posse. Neque enim fieri potest, vt differentiæ, quæ per constituendi modum inter se ex opposito distinctæ sunt, in eodem simul sint. At verò vt vnâ composita hypostasis ex diuersis naturis existat, fieri potest: quemadmodum homo ex anima & corpore compositus atque concretus est. Quanquam enim vnâ hominum natura dicitur: at minimè tamen quilibet homo vnus naturæ dicitur. Etenim vnâ quidem hominum natura composita dicitur, propterea quod omnes hominum hypostases ad vnâ speciem rediguntur: at singuli homines vnus esse naturæ minimè dicuntur: quoniam vnâquæque hominum hypostasis ex duabus naturis, hoc est ex anima & corpore, conflata est, eaque confusionis omnis expertes in seipsa seruat. Cui rei argumento est ea diuisio, quæ morte efficitur.

*Ex duabus naturis vnâ composita natura fieri nequit.*

*De Hypostasi.* CAP. XLII.

**H**YPOSTASEOS nomen duplicem significationem habet. Interdum enim simplicem existentiam significat. quo significato inter substantiam & hypostasim nihil interest. Vnde etiam nonnulli sanctorum Patrum, naturas, hoc est hypostases, ipsas appellarunt. Interdum rursus eam, quæ per se est ac seorsim subsistit, existentiam. qua significatione indiuiduum id quod numero differt, significat, vt Petrum, Paulum, ac certum aliquem equum. Illud enim nosse conuenit, quod nec substantia formæ expers per se subsistit, nec substantialis differentiæ, nec species, nec denique accidens, verum solæ hypostases, hoc est indiuidua, in quibus tum substantiæ, tum substantiales differentiæ, tum species, tum accidentia considerantur. Ac simplex quidē substantia in omnibus hypostasibus æquè perspicitur, hoc est tam in animatis, quàm inanimatis, tam in ratione utentibus, quàm à ratione alienis, denique tam in mortalibus, quàm immortalibus. At substantiales differentiæ, aliæ in animatis sunt, aliæ in iis quæ anima carent, aliæ in ratione præditis, aliæ in brutis, eodem quæ modo aliæ in mortalibus, aliæ in immortalibus. Atque, vt rem in pauca conferam, in cuiusque infimæ speciei hypostasibus eadem, ipsas quidem ratione substantiæ inter se copulantes, easdem autem rursus ab alterius speciei hypostasibus seiungentes. Ad eundem quoque modum accidentia, in ipsis, id est in hypostasibus, considerantur, vt quæ quamlibet hypostasim ab eiusdem speciei hypostasibus disiungant. Quoque nomine indiuiduum propriè hypostasis nomen consecutum est. In ipsa quippè substantia, assumptis accidentibus, actu subsistit.

De Persona.

Cap. XLIII.

**P**ERSONA est, quæ per suas actiones & proprietates perspicuam atque circumscriptam eorum quæ eiusdem naturæ sunt, declarationem nobis præbet: vt Gabriel dum sanctam Dei genitricem alloqueretur, vnusque angelorum esset, solus illic præsens loquebatur, nimirum per præsentiam in loco, atque allocutionem à reliquis eiusdem substantiæ Angelis distinctus. Et Paulus, cum in templi gradibus concionem haberet, vnusque hominum esset, per proprietates atque actiones suas à reliquis hominibus secernebatur. Sciendum est autem, quod sancti Patres hypostasim, & personam, & indiuiduum, pro eodem vsurparunt, nempe pro eo, quod per se atque in propria subsistentia ex substantia & accidentibus constat, numero quæ differt, ac certum aliquem significat, velut Petrum, Paulum, ac certum aliquem equum, hypostasis porro *παρὰ τὸ ὑφισταίναι*, hoc est à subsistendo dicta est.

De Enypostato.

Cap. XLIIII.

**V**IN Enypostaton quoque nonnunquam simplicem existentiam significat. quo significato non modò substantiam, quæ absolute est, Enypostaton dicimus, sed etiam accidens: quod quidem propriè Enypostaton non est, sed Eteroypostaton: hoc est in altero subsistens. Nonnunquam separatam hypostasim, hoc est indiuiduum significat: quod quidem propriè Enypostaton non est, sed hypostasis est & appellatur. Propriè autem Enypostaton est, aut quod cum per se minimè subsistat, in hypostasibus consideratur, quemadmodum species, hoc est hominum natura, in propria hypostasi non consideratur, verum in Petro & Paulo, cæterisque hominum hypostasibus: aut quod cum alio, quod substantiæ respectu differat, ad totius cuiusdam generationem componitur, vnamque compositam hypostasim efficit, vt homo ex anima & corpore conflatus. Nec verò anima solæ hypostasis dicitur, nec item corpus: verum Enypostata. Id autem, quod ex vtriusque efficitur, vtrorumque

A hypostasis. Etenim hypostasis propriè id est ac dicitur, quod seorsim atque in propria substantia existit. Rursus autem Enypostaton dicitur natura ea, quæ ab altera hypostasi assumpta est, in eaque ut existat consecuta est. Unde etiam Domini caro, cum per se ac seorsim ne minimo quidem temporis puncto subsisterit, proinde non hypostasis est, sed potiùs quiddam Enypostaton. Quippè in Dei Verbi hypostasi subsistit, ab ea nimirum assumpta: eamque pro hypostasi habuit, & etiamnum habet.

*De Anypostato.**Cap. XLV.*

B **S**ED & Anypostaton duplici modo dicitur. Interdum enim id, quod nusquam omninò est, significat: interdum rursus id quod in seipso esse non habet, verum in altero existit, hoc est accidens.

*De diuisione Entis & Substantiæ.**Cap. XLVI.*

**N**S in substantiam & accidens diuiditur, non ut genus in species, verum ut vox æquiuoca: aut ut ea, quæ ab vno & ad vnum. Substantia autem in corpus, & corporis expers. Corpus, in animatum & inanimatum. Animatum, in animal sentiens, & sensu carens. Animal, in rationis particeps, & brutum. Rationis particeps, in mortale & immortale. Mortale, in hominem, bouem, equum, & similia. Homo denique in Petrum, Paulum, ceterosque singulos homines: qui quidem indiuidua, & hypostases, ac personæ sunt. Hæc itaque substantia genus summum. Corpus, substantiæ species, ac genus animati. Animatum, corporis species, ac genus sensu præditi. Sensu præditum animal, animati species, ac ratione præditi genus. Ratione præditum, animalis species, ac mortalis genus. Mortale, ratione præditi species, ac genus hominis. Homo denique, infima species est. Mortalis enim species est, atque item Petri & Pauli species, hoc est natura, & forma, & substantia, quemadmodum sancti Patres senserunt. Ac quidem quid substantia & natura & forma sit, dictum est: quid item hypostasis & indiuiduum & persona, quid etiam Enypostaton & Anypostaton: quid præterea inter substantiam & accidentia discriminis sit: quodque substantia accidentibus præstantior sit, quippè cum hæc suum esse in illa habeant. Dictum est insuper de ipsius diuisione, quidque inter substantiam & substantiales differentias intersit: nimirum quod substantia, per ipsas informata, certam speciem absoluit, ac certam qualitatem contrahit. Commemoratum est etiam quid sit natura, quid forma, quid hypostasis, quid persona, & indiuiduum: atque quemadmodum & prophani Authores de iis censuerunt, & rursus sancti Patres, qui veritatis ac veræ Philosophiæ discipuli & doctores extiterunt, rectam sententiam tenuerunt. Age igitur nunc, quæ substantiæ propria sunt, exponamus. Proprium porrò substantiæ est, non in subiecto esse. Nam ipsa potiùs accidentibus, ad hoc ut sint, subiicitur, ac non ipsa in altero suum esse habet. Atque hoc proprium ad substantiales quoque differentias pertinet. Nam quod in subiecto est, nec cum adest, illud seruat, nec cum abest, interimit: ac proinde nec in definitione assumitur. Accidens quippè omninò est. At substantiales differentie accidentia non sunt: atque & cum adsunt, subiectum conseruant, & cum absunt, perimunt, eoque nomine in definitione quoque adhibentur. Illud etiam substantiæ proprium est, quod vniocè prædicatur, hoc est & nomen & definitionem imperit, nec quicquam, quod ipsi aduersetur, habet. Nam lapidi, hoc est ipsius lapidis substantiæ, nihil est contrarium. Illud item, quod nec magis nec minus recipit: quod etiam substantialium differentiarum proprium est. Nec enim homo magis est substantia, aut animal, quàm equus: nec rursus equus magis quàm homo. Illud insuper, quod contrariorum deinceps, ac non eodem tempore, ve-

rūm post sui ipsius mutationem capax est. Per contraria autem, accidentia intelligo. Nam substantialium minimè capax est. Siquidem id quod ratione caret, ratione præditum esse non recipit. At corpus calefcit, & per mutationem frige-  
fcit: atque anima nonnunquā virtutem, nonnunquam vitium suscipit.

*De Substantia.*

Cap. XLVII.

**H**ÆC quæ inter summum genus atque infimas species, hoc est hominem, bouem, & alia id genus, interiecta sunt, subalterna genera & subalterna species sunt. Hæc autem substantiales ac naturales differentia & qualitates dicuntur, superiora diuidentes, & inferiora constituentes, ac infimas species informantes: ipsas nimirum constituentes, ac naturam à natura diuidentes.

*De Homogeneis & Homoideis & Heterogeneis & Heteroideis & Homopostatis ac numero differentibus.*

Cap. XLVIII.

**H**OMOGENEA sunt, quæ sub eodem prædicamento collocantur: velut quæ sunt sub substantia, eodemque modo in aliis nouè prædicamentis. Sciendū est enim decem esse prædicamenta, hoc est summa genera, ad quæ simplex vox omnis refertur. Sunt autem hæc, Substantia, vt lapis. Quantitas, vt duo, tria. Ad aliquid, vt pater, filius. Qualitas, vt album, nigrum. Vbi, vt Damasci (hoc autem locum declarat.) Quando, vt heri, cras, quod quidem tempus indicat. Habere, vt vestem ferre. Situm esse, vt stare, sedere. Agere, vt vrere. Pati, vt vri. Heterogenea autem sunt, quæ sub alio atque alio prædicamento sunt. Atque Homogenea quidē sunt homo & equus: nam vterque sub substantia est. Heterogenea autem, vt homo & scientia: quippe homo sub substantia est, scientia autem sub qualitate. Rursum Homoidea sunt, quæ sub eadem specie collocantur, substantiæ quæ ratione inter se conueniunt: vt Petrus, & Paulus. Nam vterque sub eadem hominis specie est. Heteroidea autem, quæ specie, hoc est substantiæ ratione, dissident, vt homo & equus. At verò sancti Patres Homogenea & Homoidea pro iis quæ eiusdē substantiæ sunt, hoc est pro hypostasis eidem speciei subiectis, vsurpant. Iam verò Homopostata sunt, cum duæ naturæ in vna hypostasi copulantur, vnamque compositam hypostasim atque vnam personam habent, vt anima & corpus. Heteropostata autem ac numero differentia, quæ per accidentium complexionem hypostasis suæ proprietatem distinctam habēt, hoc est quæ accidentium ratione inter se discrepant, ac seorsim & separatim existunt, vclut indiuidua, puta Petrus & Paulus. Alius enim hic est, & alius ille.

*De quanto & quantitate.*

Cap. XLIX.

**Q**UANTITAS est vnitatum congeries. Nam vnitatem quantitatem esse negant, verū quantitatis principium. Vnitate igitur & vnitatem in vnum coeuntibus, duo fiunt. Ex quo perspicuum est quantitatem diuisionem non esse, sed vnitatum cogeriem atque coniunctionem. Etenim duo in vnum & vnum seorsim diuidere, hoc demum diuisio est: at vnum & vnum dicere, connexionis potius rationem habet. Sciendum est autem, quod quantitas est ipsa mensura & numerus nesciens ac numerans: quanta autem, ea quæ numero ac mensuræ subiiciuntur, hoc est quæ in numerum & mensuram cadunt. Quantorum porrò, alia discreta sunt, alia continua. Continua sunt, cum vnum est quod metimur: vt vnum lignum bicubitum aut tricubitum inuenitur, vel saxum, vel aliud quippiam eiusmodi, quod cum vnum sit, sub mensurā cadit, atque

**A** atque continuum dicitur. Discreta autem sunt, quæ inter se seiuncta sunt: ut in decem faxis, aut decem palmis. Hæc quippè inter se separata sunt. Ac proinde numerari dicuntur, nisi ob exiguitatem & multitudinem modio aut re aliqua simili ea metiamur, vel utriticum, aut quid simile. Continua porro ad hunc modum definiuntur. Continua sunt, quorum partes ad communem aliquem terminum copulantur. Nam cum lignum vnum bicubitum sit, hoc est duos cubitos habeat, vnius cubiti finis, & alterius cubiti principium, vnum est. Cohæret enim inter se, atque coniunctum sunt, non autem ab inuicem distincta. Discreta autem sunt, quorum partes ad communem aliquem terminum minimè copulantur, ut in decem faxis. Nam si quinque & quinque, numeros, communem terminum, qui ea connectat, haudquaquam habet. Etenim si aliquid dederis, quod inter quinque & quinque interponatur, vndecim fiunt, ac non decem. **B** Quin ipsum quoque nomen continui atque discreti hoc indicat. Ergo ad discretam quantitatem numerus & sermo referuntur. Per numerum porro ea intelligimus, quæ in numerum cadunt: siquidem omnia quæ numerantur, discreta sunt, ut iam à nobis est demonstratum. Ac sermo item discretus est: nam cum per dictiones numeratur, communem terminum, qui partes inter se connectat, non habet. Etenim si decem dictiones sermo complectatur, easque in quinque & quinque diuidas, communem terminum, qui eas inter se copulet, non habet. Nam si aliquid interponatur, vndecim fiunt, ac non decem. Eodemque modo dictio quoque, cum per syllabas numeratur, communi termino, quo ipse inter se connectantur, caret: ut in hac voce Socrates, inter syllabam So, & Cra, nullus est communis terminus, qui eas copulet. At verò continuæ quantitates quinque sunt, corpus, superficies, linea, locus, tempus. Scire autè operæpretium est, punctum quantitatis expers esse. Nam nec in mensuram, nec in numerum cadit: propterea quod nullam dimensionem habet. At linea dimensionem vnam habet. est enim longitudo latitudinis expers. Quapropter ipsa ad continuam quantitatem refertur. Nam cum vna est, in mensuram cadit, atque ipsius partes communem terminum habent, qui ipsas inter se copulet, hoc est intermedium punctum. Superficies autem, est externa corporis pars, *παρὰ τὸ φανερόν*, hoc est ab eo quod appareat: duasque dimensiones habet, longitudinem nimirum ac latitudinem. Quæ etià ipsa, cum vna est, sub mensuram cadit, atque ipsius partes communem terminum habet, quo inter se copulentur, videlicet intermediam lineam. Sciendum est autem, quod æquabilis superficies plana dicitur: inæquabilis autem & obliqua, simpliciter superficies. At corpus tribus dimensionibus præditum est, longitudine nempe, latitudine, ac profunditate, hoc est crassitie. Atque cum vnum est, sub mensuram cadit, ipsiusque partes communem terminum habent, per quem inter se coniungantur, nimirum superficiem. **C** Quin locus etiam aeris superficies est. Etenim locus tuus superficies est, hoc est finis aeris te ambientis: atque, ut superficies, ad continuam quantitatem refertur. Ac præterea tempus quoque metimur, nempe in præteritum & futurum: atque ipsius partes communem terminum, qui eas inter se deuinciat, habet, nempe temporis punctum. Porro temporis punctum quantitate caret. En igitur tria sunt, quæ quantitate careant, vnitatis videlicet, punctum, & temporis momentum. **D** Ac propriè quidem septem hæc quæta esse dicuntur, numerus scilicet, sermo, tempus, locus, linea, superficies, corpus. At ex accidenti ea quoque quantitatem habere dicimus, quæ in ipsis considerantur, hoc est actionem, motum, colorem, aliàque id genus. Verbi gratia, si multo temporis spatio actio aliqua & motus fiat, multam actionem ac multum motum dicimus: contra si exiguo temporis spatio, exiguum. Eodem modo, si in multis corporis partibus candor sit, multum candorem dicimus: si in paucis, paucum. Præterea quantitas partim finita est, partim infinita. Finita est ea, quam metiri aut numerare possumus. Infinita, quæ ob eximiam magnitudinem mensuram omnem ac numerum excedit, diciturque magna & multa indefinitè: ut, multam Dei misericordiam, magnum incarnationis Dei Verbi mysterium esse dicimus. Illud autem scire attinet, Aristotelem, magnum & paruum, multum & paucum, maius & minus, amplius & paucius, duplum ac

dimidiū, aliāque eiusmodi, sub iis, quæ ad aliquid referuntur, collocare. Dicimus F itaque fieri posse, vt eadē res alia atque alia ratione ad aliud atque aliud prædicamentum referatur. Etenim quæ modò cōmemorauimus, vt numerum, & mēsuram indicantia, ad quantitatem referuntur. Vt autem relationem inter se habētia, & vt alterum alterius respectu dicta, ad id quod ad aliquid est, referuntur: siquidem magnum parui ratione magnum dicitur, & duplum respectu dimidij, reliquaque eodē modo. Corpus autem, vt naturale est, ad substantiam redigitur: vt autem Mathematicum, hoc est sub mēsuram cadens, ad Quantitatem. A dhæc quantitas partim magnitudinem, partim multitudinem habet. Ac magnitudinem metimur: multitudinem autem numeramus. Magnitudinem porrò quantū sequitur: quotum autē multitudinem. Quantitatis autem tria propria sunt, quæ quidem confectaria dicuntur. Primum, quod per se contrarium nihil habet. Nam corpus ipsum per se nihil contrarium habet: quatenus autem album fortasse est, aliquid contrariū habet, nempe nigrū. Illud porrò intelligendū est, binario nullū alium numerum cōtrarium esse. nam si sit, multi erunt. Omnes quippè alij numeri contrarij erunt: iniustāque natura reperitur, quæ vni multa cōtraria opposuerit. Neque enim fieri potest, vt vni multa aduersentur. Secundum, quod nec magis nec minus recipit. neq; enim vnæ palmæ magis duę palmæ sunt, quàm duo homines. Quod autē nihil habet quod secū pugnet, magis & minus non recipit. Tertium, quod soli & omni, & quanto, æquale & inæquale est. Linea enim lineæ æqualis est & inæqualis. H

*De ijs, quæ ad aliquid.**Cap. L.*

**A**D ALIQUID ea sunt, quæ id quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodo alter ad alterum. Atque aliorum esse dicuntur, vt pater filij (nam pater omninò filij pater dicitur:) ad aliud autē, vt magnum ad paruum, & multum ad paucum, non enim dicitur pauci multum, sed multum ad paucum. Scire autem operæpretium est, quod cum quidpiam per se consideratur, ad aliquid non est: cum autem habitudinem ad alterū habet, tum demum ad aliquid dicitur. Quapropter hoc est esse ex eorum numero quæ ad aliquid referūtur, atq; hæc ipsorū hypostasis est, cum alterius respectu dicitur, hoc est habitudinem ac relationē ad alterū habent: siquidē mutua habitudo, ea quæ ad aliquid sunt, efficit. Porrò eorū quæ ad aliquid sunt, quædā eodē nomine appellātur, t̄t amicus amici amicus, inimicus inimici inimicus: quædā diuerso nomine, vt pater filij pater, magister discipuli magister. Rursus eorū quæ ad aliquid sunt, alia præcellētia ratione dicuntur, vt maius minore maius. Alia ratione iudicātis & iudicati, vt sciētia eius quod in sciētia cadit sciētia. Etenim sciētia iudicat id quod in sciētiam cadit, hoc est cognitio iudicat id quod cognosci potest. Et sensus rei sensilis sensus est, & positio rei quæ ponitur positio, & statio eius quod stat statio, & recubitus eius quod recumbit recubitus, ceteraq; ad eundē modū. Alia per potentia & imbecillitatē. Per potentia nempe, vt calefaciens & calefactū: per imbecillitatē autē, quod per potentia priuationē existit: vt dicimus oculū propter imbecillitatē orbem eum cernere nō posse, qui syderibus caret. Alia deniq; respectu causæ, & eius quod ex causa proficiscitur: vt pater filij pater. Hoc autē eorū quæ ad aliquid sunt propriū est, quod inter se cōuertuntur. Etenim amicus amici amicus dicitur, & magister discipuli magister, itemq; discipul⁹ magistri discipulus. Illud itē, quod naturā simul sunt. Simul porrò natura esse, est simul inferre ac simul inferri, simul tollere, ac simul tolli. Nā si pater sit, fili⁹ quoq; sit necesse est. Et si fili⁹ sit, pater quoq; sit necesse est. Ac cōtrā si pater nō sit, ne filius quidē erit. (Cuiusnam enim filius erit sublato patre?) Et si filius nō est, ne pater quidē erit. Neq; enim pater erit, qui filio careat. Itaq; filius simul cū patre tollitur, & pater simul cum filio. Non quod ipsius hypostasis simul tollatur: sed habitudo ac relatio. Nam etsi filius homo remanet; at filius tamen non remanet, nam qui patrem non habet, quī tandem

A tandem filius esse queat? Quod si filium quoque defuncti hominis dicimus, at id tamen vel proprie non dicimus, sed abusuè: vel ita hoc intelligimus, quod pater ob animæ immortalitatem minimè perierit, atque in nihilum abierit. Iam verò illud scire attinet, quod vnumquodque prædicamentum summum genus est, habetque & genera & species subalternas, & differentias item, tum genera diuidetes, tum species constituentes, ac denique infimas species & indiuidua. Nec verò constituentes differentia substantiales dicuntur, nisi solius substantiæ: nec rursus indiuidua hypostasies dicuntur, nisi solius substantiæ. Ne illud quidem ignorandum est, ipsam quoque substantiam, vt quæ genus sit, & habitudinem ad alterum habeat, ad ea quæ ad aliquid sunt, referri. siquidem genus, specierum genus est: & species, generis sunt species: ex eorumque numero sunt, quæ ad aliquid referuntur. Insuper ea quæ ad aliquid sunt, & conuertuntur, aut in iis, quæ per se firma sunt, habitudinem & affectionem habent, hoc est in substantiis: aut in iis, quæ per se firma & stabilia non sunt, hoc est in accidentibus. Si in iis quæ per se firma sunt, aut naturalis eorum habitudo est, vt patris & filij: aut minimè naturalis. Si minimè naturalis, aut fortuita est, vt feruus & dominus: aut ab arte oritur, vt discipulus & magister: aut ab animi inductione proficiscitur, vt amicus & amicus, inimicus & inimicus. Si autem in iis quæ non per se firma sunt, sed in accidentibus, aut naturalis est, vt duplum & dimidium: aut minimè naturalis. Oportet autem ea quæ ad aliquid dicuntur, prius ad aliud prædicamentum reduci, tanquam separatim considerata: ac tum demum, vt habitudinem & affectionem ad alterum habentia, ad ea quæ ad aliquid sunt, referri. Quippè prius aliquid sine habitudine ac relatione esse necesse est, ac tum habitudinem in ipso, considerare. Habitudo porrò cuiuspiam ad alterum dicitur affectio, ac tãquam cognatio eorum, quæ vel de substantia vel de accidentibus prædicantur. hæc autem sunt, aut natura, aut fortunâ, aut arte, aut animi inductione,

## De quali &amp; qualitate.

## Cap. LI.

**Q**UALITAS est, per quam quales quidam nuncupantur. Ac rursus qualitas est, per quam denominatiuè ea, quibus ipsa se impertit, dicuntur. Etenim à prudentia prudens dicitur, qui prudentiam habet: & calidus dicitur, qui caloris particeps est. Sciendum est autem, quod quale latius patet, quàm qualitas. Nã quale, & qualitatè significat, & quod ipsius est particeps: verbi gratia, caliditatè & calidû, quod caloris est particeps. Quales enim sunt, qui qualitatè habent: vt qui calorè habet, calidi dicuntur. Ita calidi quales sunt: calor autè qualitas. Quin perpèrè quia qualitas ipsa quale dicitur: eodémq; modo in quanto & quantitate. Porrò qualitatu alia in animatis & ratione præditis corporibus insunt, vt scientiæ & virtutes, morbi & sanitates, dicunturq; habitus & affectiones. Alia autem & in animatis & iis quæ animâ carent, vt calor, frigus, forma, figura, potentia, & imbecillitas. Atque hæc partim potestate, partim actu sunt. Si potestate, potentiam & imbecillitatem efficiunt. Si actu, vel ad imum vsque grassantur, vt calor per totum ignem, & albedo per totum lac & niuem, ac perpersionem & perpetentem qualitatem efficiunt: vel in superficie tantum, ac tum figuram ac formam efficiunt. Qualitatis igitur quatuor sunt species, habitus & affectio, potentia & imbecillitas, perpessio & perpetiens qualitas, figura & forma. Differt autem habitus ab affectione. Nam habitus vix vllam mutationem suscipit, atque diuturnior est, vt prudentia. non enim confestim quispiam à prudentia ad imprudentiam migrat. Eodémque modo scientia, nam cum quispiam exactè aliquid scit, vix in eo cognitio mutari potest. Habitus etiam sunt fortitudo, temperantia, iustitia. At affectiones facillè mouentur, ac confestim immutantur: vt calor, frigus, morbus, sanitas, & alia id genus. Vt enim per hæc homo afficitur, ita statim quoque mutatur, nimirum ex calido

\*ἡρῶν ἢ  
θερμότη-  
τα ex m.

Habitus  
& affectio-  
nis disci-  
men.

frigidus, & ex ægroto sanus effectus. Quin hæc ipsa quoque, hoc est morbus & F  
 fanitas, aliæque eiusmodi, si diuturna atque ægrè mutabilia sunt, in habitum trã-  
 feunt. Caterùm latiùs patet affectio. Etenim ambæ quidem affectiones dicuntur,  
 quænam per eas homo certo modo afficitur: verùm ea affectio, quæ mutationem  
 ægrè suscipit, habitus appellatur: quæ autem facillè mutatur, affectio duntaxat. Se-  
 cunda qualitatis species potentia & imbecillitas est, quæ quidem actu non sunt,  
 verùm naturalem aptitudinem ac potentiam, aut ineptitudinem habent: quemad-  
 modum puerum potestate Musicum dicimus. Quamuis enim Musicam actu non  
 habeat, tamen ita naturam comparatus est, ut eam percipere possit. At brutum Mu-  
 sicum non est, quippe quod, nec actu Musicam teneat, nec eam consequi possit. G  
 Quinetiam quod duritie præditum est, hanc vim habet, ut non facillè diuidatur.  
 Tertia species est perpetuens qualitas & perperissio, ut caliditas, frigiditas, albedo,  
 nigredo, & similia. Ac perperissio quidem facillè abiici potest, quemadmodum &  
 affectio: ut cum quispiam vel pudore vel timore affectus erubescit aut pallefcit.  
 Prepotens autè qualitas ægrè moueri atque immutari potest. Porro perpetuentium  
 qualitatum quædam à perperissione ortum haudquaquam trahunt, hoc est non a-  
 liunde quàm à substantia existunt, ut igni calor, & melli dulcedo. Neque enim igni  
 aduentitius calor est, nec melli dulcor: nec cum priùs eiusmodi non essent, postea  
 calorem & dulcedinem nacta sunt. Et tamen quantum ad sensum nostrum attinet,  
 eandem passionem efficiunt. Etenim ignis, cum sit calidus, nos calore afficit: & item  
 mel, cum dulce sit, dulcedinem nobis conciliat. Nonnullæ autem à quadam passionem, H  
 hoc est temperamento existunt, ac nonnunquam eiusmodi passionem efficiunt,  
 qua sensus nostrus feriatur, sed non eandem passionem, & eandem qualitatem quam  
 habet: ut sunt colores. Etenim albedo, quæ ex passione quadam & temperamento  
 contigit, passionem quidem circa visum efficit, hoc est discretionem, & expansionem,  
 & illuminationem: at interim tamen nos albedine minimè afficit. Ergo perpetuens  
 qualitas, quæ aduentitia non est, aut in tota specie inest, ut calor in toto igne, aut  
 non in tota, ut nigror in Æthiopiis. Neque enim homines omnes nigri sunt.  
 Hæc autè non in corpore tantum considerantur: sed etiã in anima. Quarta qualita-  
 tis species, est figura & forma. Ac figura quidem, tum in animatis, tum in iis quæ ani-  
 ma carent, locum habet: forma autè in animatis duntaxat. Quod si de inanimatis I  
 etiã forma & formosum dicitur, id non propriè, sed impropriè dicitur. Quapro-  
 pter latiùs patet figura. nam & forma figura nuncupatur. Cõtrã autem, eorum, quæ  
 animata carènt, figura formæ nomine minimè appellatur. Rectitudo autè & curuitas  
 ad qualitatem pertinent. Iam verò sciendum est, quod quæ qualitate prædita sunt,  
 maxima ex parte à qualitatibus denominatiuè dicuntur, ut à caliditate calidum:  
 quædam etiã æquiuocè, ut Musica scientia, & Musica mulier, quæ Musicæ scientiam  
 tenet: quædam rursus, etsi raro, diuerso nomine, ut à virtute probus. Nam qui vir-  
 tuti studet, probus dicitur. Ne illud quidem ignorandum est, passionem duplicem esse.  
 Nam aut in eo quod iam passã sit dicitur, ac tum ad qualitatem refertur: quem-  
 admodum vestis iam dealbata, alba dicitur. Aut in eo quod nunc patitur, ac tum ad  
 prædicamentum Pati pertinet: ut quod nondum dealbatum est, sed nunc dealbatur. K  
 Illud item nosse cõuenit, qualitates corpora non esse, sed corporis expertes. Nam  
 si corpora essent, ad substantiæ prædicamentum referrentur. Quin accidètia quo-  
 que omnia corpore carent, ac per se minimè subsistunt, verùm in substantia con-  
 siderantur. Sed & illud scire operæpretium est, substantiales qualitates ad substã-  
 tiam referri: partes enim ipsius sunt, ut quæ ipsam diuidant, atque ad specierum  
 ipsius definitionem assumantur. Cui porro prædicamento totum subiicitur, ad id  
 quoque ipsius partes referantur necesse est. Etenim graue & leue, aut in ponde-  
 ribus considerantur, ut ea quæ ad libram perpenduntur: ac tum ad quantitatem  
 pertinent. Aut in substantia, ut in Elementis, puta igne, & terra: ac tum ad substã-  
 tiam pertinent, ut substantiales differentiæ. Eodemque modo in denso & raro res  
 se habet. Aut enim substantialiter in Elementis: ac tum ad substãtiam referuntur.  
 Aut

non  
 autem

- A** Aut aduentitiè in vestimentis: ac tum, vt quæ sita sint, ad prædicamentum Situm esse pertinent. Tria autem qualitatis propria sunt, hoc est confectaria. Primum, quòd repugnantiam admittit. siquidem calidum frigido, & album nigro aduerfatur. Secundum, quòd magis ac minus recipit. Vbi enim repugnantia est, illæ etiam magis ac minus reperitur. Magis porrò intentionem, minus remissionem significat. Possimus itaque dicere hanc speciem illa candidiorem esse, ac minus frigidâ. Tertium qualitatis confectariû ac maxime proprium est simile ac dissimile. Sciendum est autem figurâ nihil esse cõtrarium. Illud etiam intelligendum, non omnes priuationes per modum negationis dici, verùm nonnullas esse, quæ per affirmandi quoque modum efferantur, puta cæcitatè & surditatem: quemadmodum etiam contrâ non omnis species affirmandi modo profertur, sed etiam per negationem: velut intemperantia, quæ cum species sit, non tamen per affirmandi, sed per inficiandi modum consecuta est. Siquidè \* assensio affirmatio dicitur: <sup>\* Ad-</sup> vt, pulcher est. Negatio autè inficiatio: vt, pulcher non est. Cum autem dicimus, <sup>feris ex</sup> iniquus, syllaba *in* negationè significat, vt non. Quòd si hoc albû illi albo æquale esse, atque hæc superficies superficièi illi æqualis esse dicitur, at non qualitatis ratione æquale dicitur, sed quantitatis: quemadmodum & in quanto simile ac dissimile consideratur, non vt quantum, sed vt qualitatis particeps est. M. S.

De agere &amp; pati.

Cap. LII.

- C** **S**CIENDVM est actionem & perpeffionem, hoc est efficientem & perpetientem potentiam, ad qualitatem referri: at agere & pati substantiam quandam esse certo quodam modo agentem aut patientem. Agere igitur est in seipso actionis causam habere: pati autem, in seipso & in alio causam patiendi habere: vt opifex, & quod efficitur. siquidem opifex operis causam in se habet; opus autem in opifice quidem opificij principium habet, in seipso verò vim ad patiendum accommodatam. Per opificem autem hoc loco artificem intelligimus, vt Architectum: per opus autem, materiam artifici subiectam, vt lignum. nam materia Architecto subiicitur. Huius autem agere ac pati, quædam simpliciter facere dicuntur, vt in efficientibus artibus, puta **D** Architectura, æraria, reliquisque generis eiusdem, in quibus etiâ postquam is qui facit, conqueuit, opus remanet. Etenim cum Architectus ædificandi finem fecit, remanet id quod extructû est. Quædam autè agere dicitur, in quibus id quod agitur, minimè remanet: cum is qui agit, actioni finem imposuit. Nam cum tibi- cen canendi finem fecit, tibiæ cantus non remanet, sed interit. Hoc verò speculari dicitur, vt Astronomiæ, vel Geometriæ operam dare, intelligere, & similia. Ad hæc species etiam, quæ in iis, quæ anima carent, considerantur, vt in igne, lapide, ligno, ac similibus. Prima itaque in iis sunt, quæ ratione vtuntur: postremum autem in iis, quæ anima & ratione carent. Neque enim quatenus animatum est, agit, sed quatenus corpus corpori admotum. Duplex autem ipsius proprietas est: **E** altera, quòd repugnantiam admittit. Etenim calefacere & refrigerare inter se pugnat. Altera, quòd magis ac minus suscipit. potest enim magis calefacere, vel minus refrigerare: itèmq; calefieri, & refrigerari. Ac proinde in omnibus prædicamentis agere ac pati consideratur, nimirum in substantia, gignere & gigni: in quantitate, numerare & numerari: in iis quæ ad aliquid referuntur, conduplicare & conduplicari: in qualitate, dealbare & dealbari: in situm esse, collocare & collocari: in habere, ferre & ferri: in vbi, continere & contineri: in quando, continere item & contineri.

De Situm esse.

Cap. LIII.

Ddd iij

D. IOANN. DAMASCENI

**S**ITUM esse, est quod quoquo modo ad alterum situm habet, velut corpus quoquo modo situm ad certam positionem, puta ad inclinationem, aut sessionem, aut stationem. Situm autem esse tres species habet, nempe stare, sedere, & recumbere. Nam rectam esse, stare efficit: deinceps autem iacere ac stare, sedere efficit. At omnino iacere, recubitum efficit. Porro situm esse, nec eum qui situs est, nec locum significat: sed ipsum situm eius, qui in loco situs est. Eorum autem quæ sita sunt, alia naturali modo sita sunt, ut elementa in suis locis, verbi gratia, terra, aqua, aer, ignis, & alia generis eiusdem. Alia per collocationem & artem, ut statua, columna, aliaque id genus. Est & alia insuper diuisio, nempe quod eorum quæ sita sunt, alia firma sunt, ut terra: alia mouentur, ut cœlestia corpora. Ac præterea, eorū quæ sita sunt, quædam potestate sita sunt, hoc est ea quæ aliò migrare possunt: quædam actu, ut vbi sita sunt.

De Vbi. Cap. LIIII.

**V**BI, locum significat. Nam cum ex nobis, vbinam ille sit, quæritur, dicimus, domi, vel, in vrbe? Hæc autem locum significant. Species porro prædicamenti Vbi, totidem sunt, quot locorum discrimina, nempe sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, antè, pòst.

De Quando. Cap. LV.

**Q**UANDO, tempus significat. Nam cum ex nobis quispiam sciscitatur quado aliquid factum sit, dicimus, anno superiore, vel duobus abhinc annis: quæ quidem tempus significat. Species porro prædicamenti Quando, totidem sunt, quot tempora. Tria autem hæc sunt, præsens nempe, præteritum, & futurum.

De Habere. Cap. LVI.

**H**ABERE, est substantia, vel aliquid aduentitium. Significat autem continere vel contineri: ac non partem aliquam rei esse. Ac pallium quidem continet, & arma, & alia id genus. Continetur autem annulus, & siquid aliud eiusmodi exiguum est. Necessè porro est, ut & quod continet, & quod continetur, substantiæ sint. Nam si alterum substantia sit, alterum accidens, ut sciens & scientia, non iam ad prædicamentum Habere refertur. Habere autem, totidem differentias habet, quot rerum differentia sunt. Aut enim animata res est, aut animæ expers. Atque id quidem quod animatum est, habere dicimus, ut puerum, equum, & similia: id autem quod anima caret, ut anulum, calceamentum, & alia eiusmodi. Dicitur denique Habere etiam de multis aliis significationibus, sed æquiuocè: de quibus postea fusiùs differemus.

De oppositis. Cap. LVII.

**V**ICQVOD opponitur, aut ut res opponitur, aut ut sermo. Si ut sermo, sermoni affirmationem & negationem efficit. Atque affirmatio quidem est, cum dicimus quidnam alicui insit, velut, pulcher est. Negatio autem, cum dicimus quid alicui non insit, velut, pulcher non est. Vtrumque porro enunciatio dicitur. Si autem ut res opponuntur, aut ut ad ea, in quibus cõuersioni locus est, dicuntur, & ea quæ ad aliquid sunt efficiunt, quæ quidem sese mutuò inducunt ac perimunt: aut non ad ea, in quibus conuersioni locus est, & tum habitudinem non habent. Atque hæc aut mutuò inter se non migrant, atque interim tamen naturali modo sunt, ac contraria efficiunt, ut calor

**A** calor & frigus: aut alterum quidem in alterum migrat, alterum autem minimè migrat, atque alterum quidem ipsum naturale est, alterum naturæ repugnat, ac tum ea, quæ priuationis & habitus ratione inter se opponuntur, efficiunt, ut visus & cæcitas. Quippè visus habitus est, ut potè *ἄπο τοῦ ἔξω* .i. ab habendo: priuatio autem habitus, hoc est visus, cæcitas. Contrariorum autem alia nihil interiectum habent, alia aliquid habent. Interiectum nihil habent, quorum alterū in eo quod ipsis iūbicitur, aut ijs, de quibus prædicantur, esse necesse est, ut morbus & sanitas in animalis corpore ipsis subiecto, prorsusque in corpore vel morbum vel sanitatem esse necesse est. Per morbum autem, omnem naturæ deprauationem intelligimus. Interiectum aliquid habent, quorum alterum subiecto, aut ijs de quibus prædicantur, inesse minimè necesse est, ut album & nigrum. Quamuis enim hæc inter se pugnent, nõ tamen propterea horum alterum omninò corpõri inesse necesse est. Neque enim corpus omne aut album, aut nigrum esse necessarium est. (Sunt enim corpora fusca, vel ruffa) nisi fortasse alterum contrariorum propriè in natura aliquid insit, ut calor in igne, & frigus in niue. Enimuerò ea, in quibus aliquid interiectū est, partim nomen habent, ut quod inter album & nigrum interponitur, fuscum dicitur: partim nomine carent. Nam quod medium inter iustum & iniustum locum tenet, nomen non habet, verum per vtriusque inficiationem id quod medium est intelligitur, puta nec iustum nec iniustum. Contraria porrò quatuor hæc proprietates comitantur. Prima est, quòd bono quidem malum necessariò contrarium est: malo autem quandoque bonum, quandoque aliud malum. Etenim temperantiæ intemperatiã contraria est: intemperantiæ autem, interdum temperantiã, interdum stupiditas. Est enim stupiditas, cum animi perturbationes non mouentur nec excitantur. Quapropter intemperantiã temperantiæ defectus est: stupiditas autem excessus. Pugnant porrò, excessus & defectus. Secunda proprietas hæc est, quòd fieri non potest, ut contraria in indiuiduis simul & eodem tempore sint. Neque enim Socrates simul & valere & ægrotare potest, aut membrū simul caleferi ac refrigerari. Tertia, quòd contraria in eodem subiecto esse possunt, aut genere, aut specie, aut numero. Genere nimirū, ut in simplici corpore album & nigrum. Specie autem, ut in animantis corpore sanitas & morbus. Nam de numero dubitandū non est. Idem enim corpus per sui ipsius mutationem contrariorum capax est. Quarta denique proprietas est, quòd contraria vel sub eodem genere sunt, ut album & nigrum sub colore: vel sub contrarijs generibus, ut iustitia & iniustitia sub bono & malo, quæ quidem contraria sunt: aut ipsa contraria genera sunt, ut bonū & malum, quæ quidem pugnantia genera sunt.

*De habitu & priuatione.**Cap. LVIII.*

**H**ABITVS, habiti & habetis operatio dicitur, ut armorum, & armati, id est inuentis & induti. Secundò, aduentitiæ operationes, quæ durabiles sunt, \* siue naturales illæ sint, siue ad animum spectent. Naturales nempè, ut calor in ijs quæ calefcunt: animi autè, ut scientia. Tertiò, quod nondum quidem habet, sed ita comparatum est, ut habere possit: quod quidem primum significatum est eius quod potestate est. Quarto, naturalis qualitas, hoc est naturalis habitus, ut calor ignis, & dormientis visum: quod quidem secundum significatum est eius quod potestate est (quamuis enim vrere possit, actu tamen non vrit) primum autem eius quod actu est. Quintò, ut finalis operatio, velut visio, quæ iam videt, & calor qui iam calorem adfert. Priuatio autem est habitus abiectio. Quapropter primo significatui habitus, armorum hoc est indumenti priuatio opponitur. Secundò, aduentitiõrū habituum abiectio: ut cum id quod calefactum est, refrigeratur. Tertiò, genus illud quod nullo modo habere naturã comparatum est: ut infantem ad percipiendam

*ἐν τῷ  
M.S.*

Muscam naturā aptum esse dicimus, sicum autem haudquaquam. Priuata est itaque ficus: quoniam stirpium genus naturā ita comparatum non est, vt Muscam percipere possit. Quod etiam ocum habet, cum genus quidem aptitudine praeditum est, quaedam autem species non item. Verbi gratia, animal cernere aptum est: & tamen talpa, quae animalis species est, cernendi aptitudinem non habet. Quarto, potentiae quae secundum habitum est, abiectione. Quinto, finalis operationis abiectione: quod quidem superius eam, quae per priuationem & habitum est, contrariorum oppositionem appellauit, hoc est potentiae, tam efficientis quam patientis. Haec porro tribus hisce tanquam notis insignitur, nempe, quod naturā comparatum est habere, nec tamē vllō modo habet, verum prorsus priuatum est: & quando habere naturā comparatum est, & vbi naturā comparatum est. Verbi gratia, lapidē cecū esse non dicimus. neque enim cernēdi habitū habere naturā comparatum est. Nec canem recens natum cecum dicimus, nec infantem recens in lucem editum dentibus carere: quia eo tempore visum aut dentes habere minimē comparati sunt. Neque item pedem cecum esse dicimus: quando quidem natura hoc minimē fert, vt animal cernendi habitum in pede habeat. Cum igitur his tribus modis habere naturā comparatum est, nec tamen habet, dicitur priuatio.

## De priori &amp; posteriori. Cap. LIX.

**P**RIUS quatuor significationes habet. Primò enim ac potissimum id significat, quod tempore antecedit. Ac proprie quidem in animatis antiquius dicitur: in ijs autem quae anima carent, vetustius. Improprie tamen etiam alterum pro altero vsurpatur. Secundò id significat, quod naturā prius est: quod quidē simul infertur, sed nō simul infert: contra autē simul tollit, ac nō simul tollitur. Vt, animal prius est homine, quippe animali sublato ne homo quidē erit. (homo enim est animal.) contra sublato homine animal erit. Nam & equus & mulus animalia sunt. Ac rursus si homo sit, animal etiam erit (homo enim est animal.) contra autē si animal sit, nō propterea hominē esse prorsus necesse est, sed equum fortasse & canem, & similia. Nam haec quoque animalia sunt. Tertio, id quod ordine prius est: vt dicimus litteram a priorem esse, literā b posteriorem, ac deinde syllabas, posteaque dictiones. Quarto, id quod dignitate antecellit: vt dicimus, primū episcopus, deinde presbyter. Quamquam sunt qui hunc modum submoueant: quod fieri possit, vt qui ordine prior est, dignitate posterior sit. Quinto, vt dicimus causam & id quod ex causa oritur: vt, Socrates imagine sua prior est. Nam ab eo imago ipsius causam habet. Ac pater filio prior ac maior est, pater quippe filij causa est: quippe cum ex patre filius gignatur. Eoque etiam nomine Diuus Gregorius hoc significatu accepit, quod à Domino nostro in sacrosanctis Euangelijs dictum est, Pater maior me est. Alij autem adiungunt id quod cogitatione est: vt prior est fundamentis paries. Ceterum hoc ad quartum modum, nempe quod aliquid dignitate prius est, redigitur. Nam quod cogitatione prius est, hoc re posterius est. Quot porro modis prius est, totidem etiam posterius. Prius autem ac posterius, & magis ac minus, non inter aequiuoca recensentur, sed inter ea quae ab vno sunt.

## De simul. Cap. LX.

**S**IMUL, proprie dicitur, vt natiuitas in eodem tempore: vt cum duo quidam eodem temporis puncto nati sunt. Atque hic modus primae eius quod prius est, significationi opponitur. Secundò ea simul esse dicuntur, quae inter se coexistunt, eamque rationem habent, vt neutrum alterius causa sit, aut ab altero causam accipiat, vt duplum & dimidium. Simul enim coexistunt, seque & simul inferunt & simul tollunt. hic porro modus secundo & quinto

A quinto eius quod prius est modo aduersatur. Etenim in secundo, nec sese simul inferunt, nec simul tollunt: in quinto autem alterum causa est, alterum ex causa proficiscitur. Tertio simul esse dicuntur species illæ, quæ sibi inuicem ex aduerso respondent, hoc est, quæ ex eadem diuisione descendunt: velut rationis particeps & rationis expertus ex animali. Hic autem modus primo & secundo, ac ferè tribus aliis opponitur.

De Motu.

Cap. LXI.

**M**OTVS est actus eius quod potestate est, quatenus tale est: velut æs potestate statua est. Æs quippè statuæ formam suscipere potest. Quapropter aris, quod potestate statua est, actus in eo consistit, vt dissoluatur & formetur & expoliatur: quæ quidem omnia motus rationem habent. Itaque in omnibus prædicamentis, in quibus consideratur id quod potestate est, in iisdem etiam motus considerabitur. Ac contrà, in quibus non consideratur id quod potestate est, ne motus quidem considerabitur. Consideratur itaque in substantia, in quantitate, in qualitate, & in prædicamento Vbi. In substantia nempe, ortus & interitus: in quantitate, accretio & decretio: in qualitate, immutatio: in prædicamento Vbi, id quod in orbem fertur (quod quidem conuersio dicitur) & quod rectis lineis mouetur, quod quidem motus in rectum appellatur. Porro motus illius qui in rectum est, sex sunt modi, supra, infra, intrà, extrà, dextrorsum & sinistrorsum. Quare adiuncta cõuersione septem sunt motus qui per locum fiunt. Nam quicquid mutatur, aut perse mutatur: aut ratione alicuius rei aduentitiæ. Si per se, ortum & interitum efficit. Si per aliquid ex ijs quæ ipsi insunt, tum aut quãtitatis ratione mutatur, atque accretionem vel decretionem facit: aut qualitatis mutationem recipit, atque alterationem edit. Si denique per aliquid quod circum ipsum fit, localem mutationem conficit. Nam locus, nec ipsum est quod mouetur, nec quicquam eorum quæ in ipso sunt: verum ea quæ mouentur, comitatur, ac circum ipsa est. Inter ortum autem & interitum hoc interest, quòd ortus est ab eo quod non est, in id quod est, progressus: (Quod enim prius non erat, hoc oritur: ) interitus contrà est ab eo quod erat, in id quod non est, mutatio. Eodem modo inter accretionem ac decretionem hoc est discriminis, quòd accretio est motus ad maius, decretio autem ad minus. In alteratione rursum aduersæ passiones inter se opponuntur, calor nimirum frigori, nigror candori. Quocirca ortui interitus, accretioni decretio aduersatur: alterationi autem id quod ipsi opponitur, atque etiam quies. Verbi gratia: calefactioni, tum refrigeratio, tum quies opponitur. Nam cum id quod calore afficitur, finem acceperit, atque ad extremum calorem peruenerit, quiescit, atque calefieri desinit. Itidem etiam mutationi, quæ loci ratione fit, contrarius motus opponitur, atque ite quies. Contrarius nimirum motus, vt motus in superiorem partem motui in inferiorem: quies autem, quoniam si glebam quispiam in superu proiciat, non prius in inferum mouebitur, quàm quies quædam intercesserit. At verò cœlesti motui contrarius motus nullus est. Videtur autem alteratio reliquos motus consecrari. Nam & quod gignitur, & quod interit, & quod augetur, & quod diuersam qualitatem recipit, & quod loci ratione mouetur, omninò immutatur. At in motibus naturæ consentaneis, etsi qualitatis mutationem reliquos motus sequi reperimus, fieri tamen potest vt mutetur quidem, cæterum nullus alius motus locum habeat: vt in lapide (hic enim calore ac frigore afficitur, sed non augetur nec minuitur) atque item in cæteris. Quapropter etiam si alteratio reliquos motus comitatur, tamen ipsa per se considerari potest, hincq; ipsorum discrimen planum & apertum est. Motum autem Aristoteles mutationem appellat. Etenim in quinto naturalis Auscultationis libro illud demonstrat, ortum & interitum mutationes quidem esse, at non item motus: propterea quòd motus ita fiant, vt salua

interim atque incolumis res maneat. In alteratione autem, atque ea mutatione, quæ per locum fit, duo esse contraria diximus, nempe contrarium motum, & quietem. Quocirca intelligendum est res duas alia atque alia ratione, vni eidemque rei aduersari posse, quietem nimirum vt cessationem & priuationem: oppositam autem rem proprie, vt calefactioni refrigerationem.

De habere.

Cap. LXII.

**H**ABERE, octo modis dicitur. Aut enim vt habitum & affectionem, aut aliam qualitatem: etenim scientiam & virtutem habere dicimur. Aut vt quantum: lignum enim tricubitam magnitudinem habere dicitur. Aut vt substantiam circa substantiam, quod quidem summum genus est. Hoc porro, vel circum vniuersum corpus, vt vestem: aut circa aliquam partem, vt anulum in digito: aut vt partem in toto, (manum enim habere dicimur:) aut vt in vase, vt amphoram vini habere dicimur: aut vt possessionem, domum enim aut agrum habere dicimur. Quin uxorem quoque habere dicimur: & vxor item virum habere dicitur. Videtur autem hic modus ab Habere alienus esse, quoniam conversionem admittit. Neque enim magis virum uxorem habere significat, quam uxorem virum. Neuter enim alterum exuperat, verum æque ac sine discrimine sese inuicem habent. Quanquam autem possessor quoque prædium, ac rursus prædium possessorem habere dicitur, atque hæc inter se conuertuntur, at non tamen vt vir uxorem, & vxor virum. Etenim possessori in prædium omne ius ac dominium est: eaque de causa possessor potius habere dicitur, prædium autem haberi. Illud autem minimè dubium est, quin Habere in æquiuocorum numero censendum sit. Nonnulli porro sunt, qui totidem huius Categoriarum differentias esse dicant, quot differentiarum sunt Categoriarum Agere & Pati: propterea quod vt ea quæ agunt & patiuntur, vel animata sunt, vel anima carent, eodem modo hinc quoque aut animatum est id quod habet & habetur, aut animæ expers. At si ita est, quoniam pacto diuersorum generum eadem differentiarum erunt? Quamobrè sic potius dicere possumus, id quod habet, aut circa totum corpus esse, aut circa partem. Atque hoc rursus, aut ad propulsandas iniurias accommodatum est: aut ad ornatum.

De enunciatione, affirmatione, &amp; negatione. Cap. LXIII.

**S**CIENDUM est, tum affirmationem, tum negationem, enunciationem appellari. Atque affirmatio quidem est, quæ, quid alicui inest, significat: vt Socrates sapiens est, Socrates ambulat. Negatio autem, quæ, quid alicui non inest, indicat, id est quid aliquid non sit: vt ille non est sapiens, ille non ambulat. Quoniam autem omni affirmationi negatio, itemque omni negationi affirmatio aduersatur, negatio ea, quæ affirmationi opponitur, & affirmatio ea, quæ negationi aduersatur, contradictio dicitur. Porro alteram falsam, alteram veram esse necesse est.

De termino, &amp; propositione, ac syllogismo. Cap. LXIIII.

**H**ÆC scire conuenit, hoc Logici muneris institutum esse, vt de demonstratione pertractet. Demonstratio autem syllogismus est. Syllogismus porro ex duabus veris propositionibus & conclusione constat. Verbi gratia: si mihi in animo sit animam immortalem esse demonstrare, sic disputo: Quicquid perpetuo motu præditum est, immortale est. hæc est propositio. Deinde alteram propositionem adiungo, ac dico: Anima perpetuo motu prædita est. Sequitur conclusio: Anima ergo immortalis



in partes diuidi potest, vt terra quæ in plures hæredes distribuitur. Aut quod sine diuisione ad communem vsum adhibetur, non tamen vno eodémque tempore: vt seruus vnus aut equus vnus duorum dominorum, nunc huius nunc illius imperium exequens. Aut quod licet per præceptionem ab aliquo vsurpetur, ad commune tamé remittitur, vt locus in theatro, vel in balneo. Aut quod sine diuisione ad communem & eandem intelligentiam profertur: vt vox præconis. Atque hoc modo in æquiuocis & vniuocis \* commune nomen sumi debet. Per se est, quod primùm ac per substantiam alicui inest, ac non ex accidenti: et ratione præditum esse, homini. καὶ ὅλως. est quod multa significat, vt homo, animal, substantia. Ex accidenti, est quod potest alicui inesse vel non inesse: vt homini, ægrotare vel sanum esse. Facere, dicitur in efficientibus artibus, in quibus remanet id quod factum est: vt in Architectura, & similibus. Absoluta enim effectione lectus remanet. Agere autem, in iis dicitur, in quibus id quod effectum est, non remanet: vt in tibia ludo & saltatione. Contemplari dicitur, intelligere, Astronomiæ aut Geometriæ, aut aliis eiusmodi rebus operam dare. ἁπλοῖαν recta doctrina duplicem esse pronunciat. Altera enim est velut ἐπένοια quædam & ἐπεθύμισις, hoc est accuratior quædam cogitatio, quæ vniuersam & inarticulatam rerum speculationem atque cognitionem explicat ac declarat, vt quod sensui simplex esse videbatur, per longam & curiosam mentis indagatiōnem varium & multiplex esse appareat: vt homo, qui simplex esse cerpitur, cogitatione duplex intelligitur, nempe ex anima & corpore conflatus. Altera autem figmentum est, per coniunctionem sensuum, & eius facultatis animæ, quæ rerum imagines effingit, ex iis quæ sunt, ea quæ nullo modo sunt, componens & existimans. cuiusmodi est, hypocentaurorum & sirenarum, & tragelaphorum fabulosa confictio. Siquidem vniuersorum partes accipiens, atque ex partibus aliud quidpiam componens, arbitratu ac libitu suo ea quæ nullo pacto in hypostasi & substantia considerantur, in mente ac sermionibus effingit, ac postea in materia quoque formans, tanquam simulacrū quoddam efficit. Hæc autem nuda ac simplex cogitatio dicitur. Vnio, variis modis dicitur. Aut enim per conspersionem fit, vt in diuersis formis, quæ in vnâ massam commiscuntur. Aut per agglutinationem, vt in ære & plumbo. Aut per coherentiam, vt in faxis & lignis. Aut per confusionem, vt in iis, quæ liquecunt, & in metallis: illis nimirum, vt in cera & pice aliisque eiusmodi: in his autem, vt in auro & argento aliisque id genus. Aut per temperationem, vt in liquidis, puta vino & aqua, aut vino & melle. At verò vnio ea, quæ per cōpositionem fit, est partium inter se sine vllius exitio commeatio, vt in animo & corpore res se habet. Quam quidem vnionem, temperationem, aut συμφύσιν, id est naturæ coniunctionem, quidam appellarunt. Sciendum est autem nonnullos Patres temperationis vocabulum in Christi mysterio minimè admisisse: at vnionem eam, quæ in compositione sita est, omnes ad vnum recepisse. Hæc autem est hypostatica vnio, quæ per compositionem efficitur. Ac secundum hypostasim, est res ea, quæ ex diuersis naturis constat. Et rursus, secundum hypostasim, est quod ex duabus quiddè rebus concretum est, sed in vna persona. Ac rursus vnio per hypostasim, est natura ad alteram hypostasim accedens. Temperatio autem, est corporum appositio, ac mutua qualitatum ingressio. Ac rursus temperatio, est corporum, qualitates suas inter se vicissim miscentium coniunctio. Temperatio item, est substantiarum inter se diuersarum concursus, atque earum qualitatum, quæ ipsis insunt, mutua accessio. Est etiam vnio, quæ per appositionem fit: atque ad eius, quæ per coherentiam & concinnitatem efficitur, similitudinem accedit. Rursus personalis vnio dicitur, cum quis alterius personam subiens, ipsius loco pro ipso verba facit. Ac præterea vnio affectionis est, vt amici ad amicū. At Nestorius alias quoque vniones commiscitur, nempe quæ ad dignitatem & honoris æqualitatem, & voluntatis identitatem, & decretum, & homonymiam, pertinent. Sciendum est autem, in hypostatica vnione, ea quæ animo & ratione intelliguntur, & cum

iis, à

\* ἡ συν-  
 γύμων  
 ὄνομα  
 κοινόν.  
 in M. S.  
 ὁ ἑστὶ.

A iis, à quibus excipi possunt, copulari, vt ea quæ simul corrupta sunt: & tamen confusionis atque corruptionis & consumptionis expertia manere, vt adiacentia. Ea enim earum rerum, quæ in intellectum cadunt, natura est.

*De hypostatica vnione.*

*Cap. LXV.*



LLVD scire attinet, hypostaticam vnionem vnam rerum coniu-  
ctarum compositam naturam efficere, naturas eas, quæ ad vnionem  
conuenerunt, earumque differentiam, ac naturales proprietates, con-  
fusionis omnis & mutationis expertes in se retinentem: ipsam au-  
tem nullam hypostaticam differentiam ad seipsam habere. Quip-  
pe ipsius sunt, vtriusque eorum, quæ ad vnionem coierunt, caracteristicæ dif-  
ferentiæ, per quas vtrumque ab iis, quæ eiusdem speciei sunt, distinguitur: vt in  
anima & corpore res se habet. Etenim vna quidem ex vtrisque, Petri fortasse  
aut Pauli, composita hypostasis efficitur: caterum in seipsa duas naturas, hoc  
est animæ & corporis, earumque differentiam ab omni permixtione alienam,  
atque item proprietates ab omni confusione remotas seruat. Habet autem in se  
ipsa caracteristicas vtriusque proprietates, hoc est animæ, quæ eam à reliquis  
animabus distinguant, & item corporis, quæ ipsum à cæteris corporibus secernant,  
nec animam à corpore vlllo modo disungant, verum vniant & copulent,  
simulque vnam ex ambobus conflatam hypostasim à reliquis eiusdem speciei  
hypostasibus dirimant. At posteaquam semel naturæ hypostaticam vnionem  
susceperint, diuisionis prorsus expertes manet. Nam etsi anima, in morte à cor-  
pore diuellitur, at vtriusque tamè hypostasis vna eademque est. Hypostasis enim  
est separata cuiusque concretio, quæ tum fit, cum primum quidque existit. Qua-  
propter cum corpus & anima vnum existentia suæ atque hypostasis principium  
habeant, etiam si alterum ab altero disungatur, tamen manet. Illud autem intel-  
ligendum est, naturas quidem inter se per hypostasim vniri posse, vt in homine:  
& item naturam ab hypostasi assumi, & in ipsa subsistere posse: quæ quidem am-  
bo in Christo intueri licet. Nam in eo naturæ, diuina nimirum & humana, copu-  
lata sunt. Atque in Dei verbi hypostasi, quæ prius erat, animata ipsius caro sub-  
stitit, eamque hypostasim habuit. At verò vt ex duabus naturis natura vna com-  
posita, aut ex duabus hypostasibus vna hypostasis efficiatur, omninò fieri ne-  
quit: propterea quòd contrariæ substantiales differentia in vna eademque natu-  
ra simul esse non possunt. Siquidem earum munus est, naturas eas, quibus insunt,  
inter se dirimere. Ac rursus fieri non potest, vt quæ semel separatim subsisterunt,  
aliud hypostasis principium habeant. Quandoquidem hypostasis nihil aliud est,  
quàm separata substantia. Sciendum est autem, quòd in sancta Trinitate hypo-  
stasis, est modus principij expertis sempiternæ cuiusque existentia. Illud etiam sci-  
re conuenit, quòd cum composita aliqua natura fit, eiusdem temporis partes ef-  
se necesse est, atque ex aliis aliud effici, quòd ea, ex quibus compositum atque  
concretum sit, non retineat, sed immutet atque alteret. Vt cum ex quatuor ele-  
mentis corpus efficitur, aliud ex aliis fit: ac neque ignis perfectus, neque vllum  
aliud elementum est aut dicitur. Vt, cum ex equo & asina mulus gignitur, neque  
enim equus aut asinus est, vel dicitur: sed aliud ex aliis, neutrum eorum, ex qui-  
bus conflatum est, confusionis ac mutationis expertis retinens.

B

C

D

E

Ecc